

www.e-rara.ch

**Epistolarum medicinalium Conradi Gesneri philosophi et medici
Tigurini libri III**

Gessner, Conrad

Tiguri, anno 1577

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1176>

Epistolarum medicinalium Conradi Gesneri philosophi et medici Tigurini, liber tertius.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

EPISTOLARVM ME.

DICINALIVM CONRADI GESNERI
PHILOSOPHI ET MEDICI
Tigurini, Liber tertius.

CONRADVS GESNERVS COSMAE

*Holtzachio, Medico excellenti
Scaphusia.*

DE BEBAM nunc tibi, vir humanissime, ingentes gra-
tias agere, pro suavissima illa humanitate tua, qua me-
cum socijs nuper apud vos, prosequutus es. Sed quo-
niam nec ego rhetoricari peritus sum, nec tu pro mo-
destia tua tale aliquid a nobis expectas, simpliciter & absq[ue] pro-
cemio ad te scribo; & gratias habeo agot[ur] immortales: hortorq[ue]
vt tu etiam nostram apud nos aliquando hospitalitatem qualem-
cunque experiaris. Quod si hortulum nostrum inuisere olim vo-
lueris, stirpibus innumeris, pro sua magnitudine refertum, intra
mensum aut prius instructissimum illum inuenies, non nostrati-
bus tantum & alpinis, sed etiam exoricis plantis, quae nondum
satis adoleuerunt ex seminibus proximo vere terrae mandatis.
Desiderat te etiam Frisus noster & amici alij. Ego quidem, quan-
diu nobiscum esse tibi libuerit, totus ero tuus sine vlla negotio-
rum exceptione. Veni igitur, vt nos & amicos inuisas, & de re-
bus medicis nobiscum conferas, quandocunque ocium tibi fue-
rit: aut si id per se non detur, vi tibi viam facito, vt amicis morem
geras. In praesentia mitto munusculum chartaceum tibi & phar-
macopolae commune: cuius ego sum author, sed nomine meo dis-
simulato. Expectabo iudicium super eo vestrum, tuum inquam
& pharmacopolae, quem rei destillatoriae peritissimum esse, ex
breui in officina eius colloquio, facile intellexi. Exemplaria o-
mnia distraeta sunt, & breui denuo redetur: quamobrem cupio ab
amicis iuari, vt emendatior & locupletior liber exeat, alicubi et
etiam breuior; superfluis, si quae videbuntur, recisis. His diebus
Lithotomus quidam apud nos, ante sex aut septem septimanas a-
cane rabido morsus, cum aliquandiu nihil mali sensisset, subito ti-
moris a qua superuenit, intra biduum miserime periit. Morsus est
etiam

etiam vxor eius, sed leuissimè, cui ego quotidie aliquid gentianæ propino, sed tormentillæ aliquid addo, quia menses alioquin nimios experitur. Vale, & me ama. Tiguri 1554. Septemb. 6.

CONRADVS GESNERVS COSMÆ

Holtzachio medico.

Pharmacopolæ tuo, magnis meis verbis gratias ages, quoddam liberaliter suas, aquæ cinnamomi & olei de baccis iuniperi, egregias certè confectiones, mihi communicarit. Quod si & tu & ipse succisuiis aliquando horis in nostro libello mutandum, emendandumve aliquid deprehenderit, deque eo admonendum me dignati fueritis, rem mihi grauisimam facietis. Est enim argumentum huiusmodi, quod subinde, experientia præsertim docente (cuius mihi facultas non datur) emendari possit. Aquæ aluminosæ descriptio quam misisti, mirificè mihi placet, & sanè apud nullum authorem de ea quicquam legi. Aquæ vel oleo vitrioli rectè paratæ, eandem ferè facultatem tribuerim ad vlcera oris, aliâq; corrosiua. Hoc obiter addam, rescivisse me his diebus de Constantiensi quodam, qui nunc noster ciuis est, quod cum quater aut quinquies diuersis temporibus epidemio capitis dolore (cuius in mentionem cum vobiscum essem incidimus) correptus fuisset, semper ab eo sectione venæ sub lingua, liberatus fuerit. His diebus etiam, cum ad mulierè vteri suffocatione grauisimè afflictam accerserer, propinaui primùm castorei semidrachmam cum aqua hyssopi, & linteolum aqua ardente intinctum, umbilico imposui: cœpit illa mox melius habere, sed post aliquot horas, culpa fortassis mulierum, quæ odorata naribus admouerant, redijt malum: tum ego ex aqua hyssopi dissolutum hoc remedium obtuli, quod recipit.

Castorei, sinapis albi, rutæ ana. ʒ. i. theriacæ ʒ. i. quo illa non calido, sed vt erar, epoto, dormire cœpit, & multis iam diebus optimè habet, cum deplorata iam fuisset, totius corporis tremore, spasmo, vomitibus, capitis dolore, symptomatibus pariter vexata. Sed simul etiam in sacculo calefacto in aqua, absinthium & cathanasiam super ventriculo imposui. Sed quid ego hæc ad te, hoc est, noctuas Athenas? Tu quidem si casus aliquos rariores & experimenta tua aliquando ad me scripseris, non parum me oblectaris. Vale in Domino. Tiguri 1553. Iunii die vigesimo secundo.

EPIST. CONRADI GESNERI
CONRADVS GESNERVS COSMAE
Holtzachio medico.

Pergratus mihi fuit Catalogus seminum quæ accepisti, tum propter rem ipsam, qua mirificè delector, tum quòd inde a mortis tui ac benevolentiae erga me, coniecturam facio non inane. Ex ijs peto, quoniam tu petere iussisti, Semē spargani, Asteris Attici, Medicæ, Beçn albi, Merueilles, Polij montani, &c. Sat erit si pauca vel vnum aut alterum de rarioribus, miseris. Dabo enim operã omnē, vt proueniāt. Stirpes his dieb. aridas folijs char taceis affixas è Bononia circiter trecentas accepi, & superiore anno centenas. Pro oleo de cera, magnas tibi gratias habeo. id me admonet petrolei, quòd nuper hic quidam agyræ vendiderunt, è Bauaria (vt aiebant) allatum: Illic colligitur in lacu quodã, *Ögerßfelden* (si bene memini nominis) non procul Monaco, vbi ecclesia est S. Quirini: habebant etiam chartam, in qua copiose eius vires erant descriptæ. Aliud est à petroleo citrino communi, colore eodem, sed multò densiore substantia: De hoc, si vacat, pharmacopolam vestrum interrogabis: eumq; meo nomine rogabis, vt de oleo illo naturali (timeo enim ne agyræ illi adulterent) circiter vnciam per occasionem accersat & ad me mittat, quocunq; pretio. Si qui fontes apud vos aut balnea sunt alicuius naturæ peculiaris, aliquando orium nactus ad me scribe, vt nostro de fontibus & balneis Heluetiæ Germaniæq; libro denuo edendo, adijciam. Nullas te literas ad me dare vellem sine aliquo *repi* *de tarpia* *alid* *nylw* fructu. Olei vitrioli vires iam aliquoties expertus admiror: tam subito agit, modo sudores copiosissimos, modo aluum aut vomitū citat, crassa omnia attenuat, potentissimè ficit. Nullus medicus eo carere deberet, ego paucillum habeo, vt communicare possim: iube Pharmacopolam vestrum (quem salutaris) ex Etonymo, eius (si placuerit) apparatus experiri. Per omnem Italiam, ad nos vsq; & vltra longè lateq; nouo quodam morbo tentata est innumera aliquot myriadum multitudo. Nulla ferè hic domus, idem non experta est. Nemo tamen adhuc inde periit, præter puerperã vnã à partu quoq; imbecilem. Causam aliam non video, præter austrinam totius ferè æstatis constitutionem. Morbus in castris Italiæ cæpit: vbi ex tanto vtrinq; militum collecto- rum numero in tali aëris constitutione, & infecto, forsan etiam excrementis & cadaueribus hominum equorumq; (per multos enim in Gallorum castris ante hunc morbum nescio quo alio interisse audio)

T. vrb.

audio) aëre, lues serpere & contagiosa esse cœpit, & epidemia, sed salutaris, non pernicioſa. Remedia hic nemo curat. Venæ ſectio- nem non probo (cum morbi magnitudo non poſtulet, & phlegma potius cum aliqua bile, quàm ſanguis in cauſa ſit) niſi in paucis plethoricis. Venas tamen ſub lingua, vbi magnus dolor capitis eſt, & alia non impediunt, vtiliter ſecari puto. Clyſteres prodeſſe. Decoctum violarum, hórdei et liquiritiæ cum ſaccharo bibendum per ſe, vel admixto apomelite modico vel ſyrupo de glycyrrhiza: poſt aliquot dies aluum mouendam, cum ſyrupo de roſis perſicis, mixto cum decoctione polypodij, &c. Vale. Tiguri eo anno, quo morbus ille, quem Galli coqueleuche, noſtri das hünnerwee/paſſim graſſabatur.

CONRADVS GESNERVS COSMAE

Holtzachio medico.

A Vnumno ſuperiori ad te ſcripſi, clariffime Holtzachi, ac ſi- mul libellos duos miſi, vñum pro te, Pædrotrophiam Iulij Ale- xandrini: alterum pro pharmacopola veſtro, libellũ quendam de deſtillatione oleorum, quæ ſi tibi reddita non ſunt, vt epiſtola tua præ ſe fert, doleo: non tam pro ipſis tantilli preciĩ libellis, quàm quod memoris veſtrũm animi argumento tandiu caruiſtis. Sed cur epiſtola tua adeo nullo artis noſtræ condimento inſtructa, ad me peruenit? quin hiſtóriam aliquam raram ſcribis, vt receperas? vel aliquid de experimentis tuis: quæ neceſſe eſt multa & varia eſſe, in tot occupationibus tuis. Ego quanquam alijs rebus potius quàm medendo occupatus, ſubinde tamen aliquid obſeruo: ex quibus hoc in præſentia accipe. Elleborus vterq; ſi cum aceto & melle decoquatur, vt ſyrupus fiat: medicamentum innoxium; et ad pleroſq; phlegmaticos morbos (thoracis & capitis in primis vt aſthma, dyſpnœam, epilepſiam) *non exſeop.* vt ego iam ſæpe vtiliſſi- me experius ſum. addo alia purgantia & corrigentia quædam pro arbitrio, &c. ferè vt oxymel Iuliani eſt. aluum, vrinam, & meatus omnes, etiam cutis, mirificè nulla moleſtia expurgat. Audio apud vos in horto quodam reperiri wyß fappen blümen / id eſt, Napellum album, albis floribus, qui alioquin ſoler cœruleos flores producere. De hoc obſecro mihi inquire, & radicem integram videntem ſaltem vnã, mitte in pegmatio aliquo, cum pauca terra vt plantare poſſim: ego inuicem aliud quiddam & pulchrius mittam, habeo enim Hieroſolymitanos flores elegantiffimos, & alia quædam. Radicis Saiſæ parillæ vſus, paſſim inualeſcit, re-

EPIST. CONRADI GESNERI

ſicſto Guaiaco: Gaſſerus noſter nuper ſenem ferè leproſum hoc reà
medio à ſe reſtitutum ſcripſit. Si nihil de eius vtendi modo habes
& deſideras: puto me habere aliquid ab amicis, quod mittam a-
liàs. *ov Æ Æ Æ Æ (pina uſpand) wã rãbi ñ.* Vale. Tiguri 15 60. Februa-
rij die 23.

CONRADVS GESNERVS COSMAE

Holzachio medico.

PRO pecunia ad me miſſa, vir claris. gratias habeo maximas,
et huius beneficij tui memor ero perpetuò. Vitam maximè ne-
goſam te agere facilè tibi credo, ego etiam niſi plurimis im-
plicarè occupationibus, hoc tempore copioſius tuis reſponderè
literis. Diſtrahunt me profeſſio Ariſtotelis Græca quotidiana, lu-
cubrations quædam, ægroti, & literæ ſubinde in diuerſas regio-
nes exarandæ. Quod ad iſchiadema, mihi potius opus eſſet tuo con-
ſilio, quàm vt ego tibi dare poſſim. Laboraui hoc malo acerrimè,
cum prius ferè ignorarem quid dolor eſſet, in coxendice quidè le-
uis dolor fuit, ſed ingens ad quatuor ſub genu digitos parte exte-
riore: vbi etiamnum manent reliquiæ, ſi digito præſertim premam.
Cum doloris vehementia ceſſaret, ſtupor quidam & grauitas ex-
cepit, tum naſtus fortè nauim, ad thermas noſtras deſcendi: qua-
rum uſus dolorem mihi mitigauit, non omnino ſuſtulit: nullo qui-
dem impedimento, Dei gratia, longius etiam ambulo. Quid verò
ante balneum potiſſimū mihi profuerit, non facilè dixerim, multa
enim variaq; adhibui: emplaſtra, fomenta, clyſteres acres, &c. Fu-
mus ſiue calor certè ex aqua vitæ ardente, crure in lagenam vbi
accenderam, demiſſo, profuiſſe videtur. in primis etiam vomitus
vehementior cum oxymelite meo concitatus. A principio etiam
morbi, ſponte ortum eſt vlcus in eiuſdem lateris nate, quod mihi
profuiſſe non dubito, & cauterij alicuius vicem præſtituiſſe. Audio
certè aliquos vomitu maximè curatos, alios Guaiaco, clyſterijs,
interim alijsq; non neglectis: alios terebinthina mixta cum cha-
mæpity aliquandiu continuata: alios pilulis quibuſdam, alios
fontanella infra genu. Ego in iſchia dicis aliquot, non infeliciter
uſus ſum emplaſtro quodam: quod conſtat pice, martiario, aro,
euphorbio, inula, oſeo de junipero, poſſet etiam ſulphur addi. Cly-
ſteribus præter centauryum minus, ſabinam, periclymenum, hy-
pericum, aliqui terebinthinam, & interdum colocynthidem ad-
dunt. Vena in malleolo foris ſecta, plurimos iuuat, non ſolum ſan-
guineos, ſed etiam phlegmaticos, ni fallor. Dysenteria nobis ra-
riſſima

Dissim

visissima est. Curavi aliquando eo potu quem tu propinas, in clysteribus dato, nempe lacte chalybeato: primum per se, deinde astringentibus simul coctis. Feliciter aliàs dedi panem paruum, factum è farina fabacea, cui nucem moscharam & bolum præparatum admiscebam, & pistori coquendum dabam. Vtilissimam crederem aquam destillatam è succo pirorum, præsertim sylvestrium. Sed quid ego noctuas Athenas? Oculorū affectus non solitus sum curare, tum quia ego ipse hebetissimo visu sum, & affectus eorum aliquos non bene discernetem, tum vt aliquid empiricis & ophthalmicis nostris relinquam. M. Petrus Lithoromus noster, priuignus M. Iacobi nostri defuncti, in oculorum curatione bene exercitatus est: empiricus hætenus curauerit, nondum accepi: aiunt illum etiã suffusiones aggredi. Ego in vetere ophthalmia, venas sub lingua secare iussi olim feliciter, quo factò & corpore purgato, vñ clyst. instituto, posses vxori tuæ destillare aquam hoc ferè modo.

℞. mellis despumati ʒ. v. sacchari candi ʒ. ij. ros. rubear. M. ij. radicum consolidæ mai. ʒ. j. f. cornogreci aqua tepida ter abluti & reficcari ʒ. j. f. cornu cerui vsti & abluti vino ʒ. f. spodij de ebore ʒ. ij. camphoræ ʒ. j. f. limaturæ chalybis ʒ. vj. aquæ fontanæ chalybeatæ q. s. aut pro ea alterius aquæ alicuius destillatæ. Trita infundantur per 4. aut 5. dies ad fornacem: tum destillentur in cinere lento igne secundum artem. Colligi autè debet liquor, qui primum emanat crassior: Hunc liquorem nunquam feci, nec fieri vidi, sed erit proculdubio optimus: interim alia etiam fieri poterunt, & collyrium Nihili aut simile palpebris canthi sçq. interdum adhiberi: & oculi primum lauari mulsâ, in qua cornogreci lori aliquid bullierit: Tandem si magis astringendum putâris, momentū chalcanti addere poteris, si videbitur. Sed vide an sit fistula lachrymalis vel encanthis: His vale in Domino, & me tandem aliquando inuise. Accepi nuper res Indicas quasdam, Balsamum, Succinum album pellucidum, Takamahaka resinam. Tiguri 15 60. Nouemb. die 15.

Dissim:

vno f

CONRADVS GESNERVS COSMAE

Holtzachio medico.

Accepi femina, grarias habeo, serâ & curabo diligenter. Balathafaris Brauch (quem in Italia olim vidi, humanitatem eius expertus) ad nos aduentus, longè gratissimus nobis fuit. Herba Nyslefraut/vt nostri vocant, nomen Latinum non habeo. Her-

molauis in Corollario, si bene memini, locustam appellat. & has aliqui locustas esse nugantur, quibus in deserto Ioh. Baptista passus sit. Herbam esse iudico frigidam & humidam in secundo gradu, & lactucae hortensis ferè facultates habere. Herbam Zulan, vel ut nostri proferunt Zyland/thymelæa congenerè esse puto. Species eius altera & minor, in altis montibus nascitur, quam pro thymelæa quidam pingunt. Scio in Gallia circa Monspeffulum aliam & veram ostendi thymelæam. Vires omnium eadem esse iudico, ex eadem omni exulcerante acrimonia, sed Zylandiæ nostræ vehementissimas, quæ mihi linguam & fauces sæpe adusit, ut recurrere vix valuerim: calidæ & siccæ sunt in quarto excessu. Vale cum amicis. Tiguri.

CONRADVS GESNERVS COSMÆ

Holtzachio medico.

PRO missis ad me plantis, tibi V. CL. & optimo viro Pharmacopœo vestro gratias habeo maximas. Pulmonarię Plinij species, ut primo aspectu conieciabam, non est: etsi flore simillimo: sed echij, ni fallor nunc etiam. Plantabo & considerabo diligentius. Scorpioides illud Rondellio dictum, ego quoque sic vocare, sed cognomento palustris (quoniam in aquis ferè provenit) soleo: Hafnerus noster de alia quadam mihi loquutus videbatur, & nobis rariore. Filipendula quæ tibi videtur, omnino sic vocanda est. Monspeliensem, quæ cum descriptione melius facit, ego quoque obseruavi & depinxi, Turcæ Byzantię Antoram vocant, id est, antitoram, quoniam Torg, id est, Napelli vel Aconiti veneno resistat, hoc enim nuper, è Constantinopoli missam radicem, accepi, &c. Ea quam pro Smyrnio Monspelij demonstratam scribis, non male eius descriptionem repræsentat, semine excepto, quod brassicæ simile rotundum ac nigrum non habet: Germani Schwartz hirtzwurtz appellant. Fuchsius olim male inter Daucos, nunc melius inter Seselis genera reponit. Frutex ye lenger ye lieber vulgò dictus, Circa esse non potest, cum milij semen in quibusdam veluti corniculis nascens, non habeat, nec radicem odoratam, &c. Solani speciem esse, flos, acini & folia testantur. Tutiam albam, Pompholygem voco: nec aliud esse puto, quam puluerem illum candidissimum, què Nihili vocat vester Pharmacopola, Norimberga allatum: quamobrem non mitto, ut neq; Unguentum Nihili nostrum, quod ex rebus valde astringentibus constat, tutia cinerea, corallio, vitriolo, camphora, carabe (ni fallor) & buryro. Si ra-

Aconiti:

*Turia
pompholygi*

men voles, parum mittam aliàs. Heri in colico, feliciter vsus sum clystere ex vrina puerorum & oleo. Ardorem vrinae diuturnum, poru balneorum Badensium nostrorum per quinq; dies paulatim aucto, vt solent Itali, curavi. Talia quædam, ex curationibus tuis à te quotq; tuis epistolis breuissimè ascribi vellem. Saluta amicos omnes. Vale. Tiguri, anno 1561. Maij penultimo.

CONRADVS GESNERVS COSMÆ

Holtzachio medico.

ABfui toto mense in Rhæticiis alpibus vallibusq; ad summam vsq; Tellinam vallem progressus, stirpes & fontes maximè inspiciendi causa, meq; exercendi: duobus in locis balneo vsus sum ad paucos dies, in vno etiã stillicidio, &c. Literis tuis eo die, quo discedendum mihi erat, acceptis, respondere non potui: Commisi autem negocium M. Petro nostro, qui se ait Vnguentum Nichili cum eius descriptione ad te misisse: Tutia albae oblitus est, quã ego nunc mitto, vt petisti: etsi reuera nihil ab illa, quam Pharmacopola vester habet, differre eam puto. Tubercula illa ad oculos, ego me vidisse non memini, vt pote & lusciosus homo, & qui oculorum vitia (ne proprium mihi obijceretur) raro curare voluerim. M. Petrus se vidisse ait, sed suppurata. Fortè iam melius: vxor tua ab eo tempore habet, quod optamus: sin minus, tu pro tua eruditione & prudentia, optime ei consules. Herba, quam moniales in Dieffenhoffen colunt, mihi quoq; tecum Phu Dioscoridis videtur, neq; nobis hic deest, sed propter Calami (Falmus) nomè aliud quidpiam esse putabã. Tuã humanitati pro illa missa, gratias habeo: sicuti etiam pro illa, quam alia quædam monialis è Sueuia tibi misit, ea ad manum nunc non est, reposita alicubi: puto autè Algæ speciem esse, vel Ampeli (vt Aelianus vocitat) aquaticæ. Varices antiq; vxorem meam excruciant: aduersus quas, aut conuulsorios earum dolores, si quid habes auxiliij, communica. Abest nunc in balneo quodã aluminoso vff Eugst/ quod ei conferre videtur, sed metuo ne statim recurrat malum, sicut & antea factum est. Colicum aluo astricta non sine febris virum, his diebus curavi, cum omnia reuomeret, &c. primùm clystere communi iniecto, qui nihil proficiebat, deinde alio ex sola vrina puerorum, qui egregiè subduxit, & vomitus sedauit, non tamen dolores ventris. Itaq; infusionem ex herbis mollientibus & anodynis, meliloto, camomilla, malua præscripsi, & mox, sedato omni dolore (Dei gratia) conuuluit. Nitrum verum, quo multis seculis ars medica caruit, & quod

EPIST. CONRADI GESNERI

nuper vir quidam doctissimus in Europa inueniri negauit, de-
 cta fontis cuiusdã aqua, in Rhætis, copiosum inueni, cuius aliquid
 ad te mitterem, sed parum superest, quo ad experimenta quãdam
 indigebo. Mittam autem aliãs vbi copiosius fuero nactus. Vale.
 Tiguri, 18. Iulij, anno 1561.

CONRADVS GESNERVS COSMAE

Holtzachio medico.

PRO consilio tuo in casu varicum, maximas tibi gratias habeo.
 Remisit nunc dolor Dei gratia, vlcere ferè curato. fecimus e-
 nim ei cauterium ante tres septimanas, quo varix, quæ inter alias
 maior videbatur, & per vlcus transibat, tota erosa per transuer-
 sum est: Nunc & cauterij vlcus, & quod anrea fuerat, ferè sanata
 sunt: sed quoniam inueteratum est malum, ab annis quindecim fe-
 re, & ipsa victus rationem nullam satis obseruat, metuo ne breui
 recrudescat. Chirurgiam tentaturus fueram ex Aeginetæ prescri-
 pto, & venam supra genu amputaturus, sed nullus chirurgorũ no-
 strorum tentare ausus est: ego tamẽ facere ipsos coëgissem, nisi vx-
 oris impatientiam, & in victu inobedientiam prænouissem. Va-
 le. Tiguri 1561: Octob. die 10.

CONRADVS GESNERVS COSMAE

Holtzachio medico.

AD vltimam epistolam tuam putavi profecto me respondisse,
 adeo memoriã mihi intricarunt nimix occupationes: à qui-
 bus paululum respirans hodie, dum chartas in Musæo meo confu-
 sas dispono, inuenio literas tuas (& miror) sine signo, quo notare
 soleo illas, ad quas respondi, quamobrem ignosces homini vt oc-
 cupatissimo, ita obliuiosissimo omnium, tui verò semper aman-
 tissimo. Guaiaci vsum consulis vxori meæ, nec mihi displiceret:
 sed ipsa morosior est, & auersatur. Video illi perpetuè cum sua va-
 letudine & varicibus præferim, rem futuram, per interualla qui-
 dem, vt nunc quoq; meliusculè habet. Condylomata & huiusmodi
 vitia, ani præferim, nunquam obseruavi, vt ne honestiora quidem
 conspectu multa, tum propter oculorum meorum hebetudinem,
 tum quia chirurgica tractare non libebar. Gaudeo tamen obiter in
 illis quoq; nõ nihil addiscere. His diebus tõfillas in muliere valde
 inflammatas curau: et egilopẽ habenti mulieri nuper consiliũ de-
 di, vt venas sub lingua secaret, et pilulis quibusdã purgaretur, &c.
 vnde.

vnde melius habuit. Guttam rosaceam si percurasti, remediū com-
munica, & quo pacto se habeat rusticus, qui latis lumbricis labo-
rabat, scribe. Ego ad grauidarum varices nihil sanè certi habeo,
coniicio tamen oleum de ranis & lumbricis profuturum: nam & ot. van
vxor mea sæpe laudauit, & victum minus crassum, & crurū quie-
tem profutura: & si dolor vrgeat, aliāq; non dissuadeant, sectio-
nem venæ alicuius in manibus. Ab Iliaca vidisti ne vnquam serua-
tum aliquem & quibus remedijs? Nuper mulier quædam robusta
hic, propter peritonæi rupturam circa vmbilicum, in hoc malum
incidit (quo planè simili duos alios hic periisse vidi) & ab empi-
rico cum accepisset parū ellebori albi, supra infraq; purgata, con-
ualuit. Vale. Tiguri anno 1562. pridie Kal. Febr.

CONRADVS GESNERVS COSMÆ

Holtzachio medico.

GRatias tibi ago, vir doctissime, pro duobus monstris, huma-
no quod descripsisti: herbaceo, quod misisti. Herbā illam la-
ticaulem de cichorij genere esse non dubito: nam & mihi in orto,
vt statim dixit cum videret vxor mea, talis nata est: & in syluestri-
bus etiā cichorij memini obseruare. Tu futura estate diligentius
obseruabis: nam si ex huius semine alia nascatur similis herba, rem-
secundum naturam esse coniicies: sin minus, præter naturam. *Apud*
muliebris sexus meatum sæpius, anum verò ita affectum nec le-
gi nec audiui vnquā: quare miram hanc quam perscribis historiā,
cum memorabilibus meis reponā. Vale. Tiguri anno 1562. 15. Ian.

CONRADVS GESNERVS COSMÆ

Holtzachio medico.

Syrupi de rosis Persicis nomine, intelligo illum, quem tu laxa-
stium vocas ex multiplici rosarum infusione: què ego primus
ante annos viginti quinque à Gallia rediens, apud nos parandum
curauit, & de rosis Persicis appellauit: quoniam sic alibi etiam ab
alijs vocari audieram. Libellum habeo Nicolai Monardi Hispa-
lensis, in quo ipse etiam has rosas sic vocat, autoritate Auicen-
næ, qui vim soluendi alium eis tribuit: etsi non incarnatas, sed ru-
bras interpretatur ipse Auicenna aut eius interpres. Constat au-
tem mihi non solūm ex incarnatis nostris (quas Alexandrinas
multi nominant) sed etiam rubris nostris communibus, sæpius

infusis, syrupum probe laxantem, & stomacho gratiorem parari. Ex incarnatis factus, teste Monardo, non solum ventrem lenit, sed etiam utramque bilem & pituitam deicit, & humores aquosos potenter attrahit. Sic ille: quo magis sperandum fuerit, stranguaria quoque eum salutarem futurum: Sunt qui cum rore decoquit, &c. Nigrum illud aculeatum, quod ad me misisti, non radix est, ut pauper ille putabat, sed fructus, nempe Tribuli aquatici: perue- lim autem obseruari a te, quo in loco crescat (audiui & ego olim in lacu aut stagno aliquo agri Tigurini inueniri, Andelsingæ si bene memini) ut possim mandare mittendum ad me cum floret: nam cum flore a nemine adhuc (puto) picta est hæc planta. Ano non perforato multos nasci, apud Cardanum nuper legi. Vaccam fuisse Perinthi, cui cibi excrementum attenuatum per vesicam transmittebatur, scribit Aristoteles: dissectusq; anus denuo pro- perè coalescebat, inquit, nec refecando euincere vitium poterant. Vale. Tiguri. Anno 1563, Aprilis 15.

CONRADVS GESNERVS COSMAE.

Höltzachi medico.

Remedium illud rarum sincipiti imponendum, tibi soli & vni-
 Rex medicis Cæsaris à me promissum, ut à Cardano accepe-
 ram doctissime Höltzachi, non inuenio, nescio vbi inter myria-
 des schedarum mearum & foliorum tanquam Sybillæ latitat. diu ac
 diligenter sed frustra quaesui: vbi primum inuenero, ne dubita,
 accipies. Non omnino quidem descriptio illa à Cardano missa sa-
 tis facit: ad asthma & catarrhos præcipuum eius vsum facit: con-
 stare ait ex dropace Pauli & cantharidibus, sed modum & pon-
 dera miscendorum non exprimit, & Pauli dropax duplex est, ma-
 ior ac minor: Medicus industrius ipse componere ritè poterit, ut
 fiat cauterium potentiale, ut aqua è cerebro extrahatur. Quod si
 curandum tibi aliquando diurnum asthma contigerit, vel alia
 causa ex catarrho diurno orta vel aucta, significabis mihi: inte-
 rea enim fortè Cardanus plenius ad me scribet, & si hoc raro &
 difficulter facit, & nunc vbi sit ignoro: putant relicto Mediolano,
 Bononiam migrasse. Sin minus, aliam quandam dropacis eun-
 dem in vsum descriptionem habeo; cum alijs quoque ad asthma
 remedijs, &c. quæ communicabo tibi candidè, modo aliquis cer-
 tus nuncius à te mittatur, ne mihi intercidat (exemplar enim vni-
 cum habeo) & tu breui, hoc est, intra dies octo remittas. Ad vari-
 ces prægnantium nihil singulare habeo: ut neque circa strangu-
 riam

riam earum, angusta & perexigua mea praxis est: permulti hic sumus medici: ego ad lucubrationes me contraho, & praxim minimè affecto, ita fit, vt pauca admodum experiri liceat. Sperarim autem stranguriam in grauidis mitigari posse, si per interualla aluus eis soluatur cum syrupo de rosīs Perficis: sic enim partim euacuantur, partim reuelluntur humores: & interdum, si biberint decoctum de radicibus althææ recentis cum passulis & saccharo, ita vt ad palatum earum temperetur, & iucundè sumatur: & cum simili decocto lac amygdalatum paretur. Victus sit emplasticus, minimè mordax, & potus parcior: acidis omnibus abstineant, & falsis ferè. Vale. Aprilis secundo.

CONRADVS GESNERVS COSMAE

Holtzachio medico.

Quod tibi curæ sunt desideria mea, vir clarissime, eo nomine plurimum te amo, & debeo tibi quantum tunc volueris. Semina abs te missa, pergrata sunt: prodijt mihi Anagyris non semel ad cubiti altitudinem: sed postea frigore periit, vt & alia peregrina quædam arbusculæ. Melissa illa à quibusdam Turcica cognominatur, odore omnino ingrato & proximè ad cimicis accedente: cum nostra vulgaris non ingrata sit (etsi Fuchsij naribus aliter videatur) & ad citri odorem accedat. Papauer album diligenter seram (vt etiam reliqua) vt videam quid ab alijs generibus papaueris, quorum multa habui habeoq; differat. Semen istud nigrum, *propolis* sicut & Anagyridis, semel prius aut iterum vidisse me puto; Cayrina nomine, feminibus è Cairo Agypti primum missis. Iis seminatis, nil mihi prouenit. Quæ autem sit eius planta, cum non viderim, dicere non possum: Coniicio tamen Ebenum esse, cui Laburnum Plinij quoq; arborem cognatam faciunt eruditi quidam. Nascitur autem Laburnum in nostris etiam regionibus, (circa Toggemburgum, & in Valleis alpibus) Anagyridi similissima: ego duas eius arbusculas alo in prato. Origanum peregrinum, acrius longè nostro, iam pridem mihi in horto crescit, semina, si voles, accipies. Dictamnium Creticum siccum etiam cum floribus habeo. Interim voluntas tua mihi grata est. Vagatur apud nos, verius quàm grassatur, pleritis quædam maligna & contagiosa, in qua nihil ferè expuitur. Moriuntur autem inde multi: quarto aut sexto die. De remedijs adhuc dubitamus. Videtur tamen secta malleo si vena eiusdem lateris, potius quàm brachij conuenire: & antidotus aliqua aliudue remedium cum sudore ab ini-

tio. Si apud vos etiam est, tuam sententiam expecto. Vale, saluta
pharmacopolam, & amicos cæteros. Tiguri 1564. Aprilis die
decimoquarto.

CONRADVS GESNERVS COSMAE

Holtzachio medico.

Pestis apud nos mediocris est. Dominus miseretur nostri, &
vt peccata nostra, ac flagelli authorem agnoscamus, & ita le-
uemus cladem, largiatur. Ex literis quidem tuis *nos quibusdam phar*,
eiusdem apud vos quoque initium esse intelligo. Electuarij de
ouo descriptiones ego etiam varias habeo: probo autem præ cæ-
teris quæ camphoræ aliquid accipit, cuius descriptionem ex Di-
spensatorio Augustanorum medicorum impresso, ad te mitto, &
inde nos etiã hic confecimus: iussi tamen pharmacopolas nostros
addere descriptioni sulfuris citrini 3. j. & nucis vomicæ pondus
duplicare. Pirapinella à Germanis vulgò dicta, Sibernell/ ab Ita-
lis rectè Saxifraga hircina vocatur. Pimpinella autem vera alia
est, Sanguisorba Fuchsi, cui à peponis seu cucumeris odore no-
men inditum puto. M. autem literam ante P. recentiores indocti,
sepe ponunt, & Græci hodie præsertim: quare pro peponella,
pimpinella ab indoctis vocata est. Vtraque autem vires aduersus
pestilentiam habere videtur non vulgares. Posterior enim Tor-
mentillæ & Pentaphylli facultatibus insignis est: siccat, astringit,
roborat, & refrigerat modicè. Prior autem, hoc est, Saxifraga hirci-
cina, calida est in tertio gradu, sicca in secundo, meo quidem iu-
dicio, minimè astrictoria, tenuium partium, incidens, & aperiens,
diuretica admodum, & calculos vel arenas potius propellens.
In receptis Latine scriptis pro Pimpinella, eam quæ propriè sic vo-
catur, ponerem. In Germanicis verò, vel è Germanico sermone
translatis, Saxifragam hircinam (id est, Pimpinellam à Germanis
falso sic dictam ponerem) vt in Electuarij etiam de Ouo compo-
sitione, si fortè in descriptione vestra ingreditur. Audiuisti fortè
rythmum illum è cælo, scilicet delapsum.

Vemmend Sibernell/

So gnâsend jr schnell/ vbi omnino Saxifraga hircina intelli-
gitur, &c. Herba Tunici non aliud est, quàm quæ flores, caryo-
phyllos vulgò dictos, fert: Beticonica altissimi à quibusdam dicta,
cuius siue vrbanae siue syluestris radicibus aliqui vtuntur: Licet
autem etiam floribus vti, qui & saccharo conditi, seruari possunt,
& pro Been albo rubroque vsurari, cum illis veris careamus.

In pe

*substantia
vomi*

In pestis curatione, si quid vtile expertus es aut experieris, communica mihi: vndique enim viciniam meam inuasit, & agrotantes aliquot ego subinde inuiso ac periclitor, nisi Deus me seruet. Commendo me precibus tuis. Ego vicissim, si petas, maiori ocio, de nostris obseruationibus aliquid ad te dabo. Vale in Domino. Tiguri 1564. Septemb. die 24.

CONRADVS GESNERVS TAD.

*deo Duno Locarnensi
medico.*

Accepi mi D. Dune, quæ misisti ab Aloisio Mundella: & gratias habeo, respondebo autem illi, vbi certior fuero de Theatro ipsius, quando tandè sit absolundū, & an seorsim, quod ipse cupit, & ego satago. Hinc Basileam ad Typographum scribam, ac simul eius literas mittā. Quod si commodus eius nuncius nuntē aut breui contigerit, has ipsas velim ad Mundellam mittri: ijs enim acquiescet, donec certius scripsero. Nunc enim in Thermis plura mihi scribere permolestum est. Ischias mea paulò leuius habet, sed iam ante Thermas (vt scis) remittebat, integram restitutionem vix spero: fiat voluntas Domini. Fortè etiam D. Mundella his cognitis, aliquid consilij aut remedij ad hunc morbum dabit. Vale. Badæ apud inferos, sic enim Thermas, quibus vtor, vocant. Augusti die 20. Anno 1560.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio Montano, Curienfis ecclesie ministro.

Mitto vnciam theriacæ nostræ, ea modò recentior, modò antiquior à medicis laudatur, pro affectuum discrimine. Ego *Thoniaca* mediam tibi magis conuenire puto, eamq; mitto. De illa sumere poteris drachmæ, id est, aurei nummi pondus, admixto modico vino albo generoso, in quo pulegij ramuli tres aut quatuor cœperint effernescere semel aut iterum: vel ipsa pulegij aqua admixta, si bona & quæ pulegium redolet, reperitur. Sumes autem diluculo, ita vt horis minimum quatuor postea ieiunes, neque quotidie, sed secundo aut tercio modò die sumes, & si fortè vt sit aliquando, somniculosum te faciat, abstineto eo die concionandum tibi fuerit. Tempestiuor eius vsus, vbi dolor aliquis, aut aliud morbi indicium se prodit. Si aluum fortè sisti ab ea animaduertas, alio die medicamento aliquo emollienda erit.

præsertim leuioribus pilulis, quas sine cura vocant. Sed his in rebus vestros quoque medicos consules. Vterque pharmacopola noster probè parant hanc antidotum, singulis expositis, vt medici omnes spectent & iudicent ante compositionem: ea quam nunc mitto, à Sebastiano nostro confecta est, quam pro munusculo dono, nec est quod pro tantillo gratias agas: aliàs, si voles, mitto tam alterius pharmacopolæ: interest enim nonnihil, quoniam pro opobalsamo, non eundem liquorem admiscuerunt, &c. Corona stri baccas & seseleus speciem, cum commodum erit mittes, ante hyemem & niues: sin minus, expectandum erit vernum tempus. Vale. Tiguri 1560. Octob. die 25.

CONRADVS GESNERVS IOHANNI

Fabricio Ecclesie Curienfis ministro.

PRO ijs quæ per affinem meum misisti, D. Fabrici, gratias habeo maximas: ex ijs rarus mihi fuit frutex, cui folia sunt cotonei mali ferè, vnde coronastrum, vel cydonaginem appellarim, supina parte candicantia non sine lanugine, rotunda ferè, baccis rutilis, siccis, carne & succo nullis, seminibus intus quaternis triangulis. Is quidem qualis quantusq; sit frutex, per ocium pluribus mihi describi velim, & semina pauca maturiora mitti. Breuius hæc & inconditè scribo, propter ischiadem mihi recentem, quo malo totum crus dextrum obstupefactum mihi est non sine molesto dolore. Alter erat frutex, nigricantibus, rotundis pomis potius quàm baccis, succo dulci dilutoq; plenis, vmbilicatis, myrti baccarum similitudine: qui etiam in Albio nostro crescit, sed fructum hactenus maturum, nondum obseruaueram. huius etiam semina, si occasio ferat, hoc est, poma maturiora pauca mihi leges. Itali puto quidam Pyrum ceruinam nominant. Ego quia antiquum nomen non inuenio, Myrtomalidè aut Petromelidem rantisper nominabo. Picturam eiusdem accepi, vt hodie à Theodoro affine tuo, Sedi parui cuiusdam: quanquam id Sedum non est, sed Linariæ vulgò dictæ species, nam anno superiore in horto mihi creuerat. Amplissimo D. Regis Gallorum Legato, libros nostros non ingratos fuisse, gaudeo, tu meo nomine officiosissimam ei salutem dices: & quòd non scripserim, valetudinem excusabis: gratias quoq; ages pro liberalitate eius in pictorem, qui quanquam imperitior mihi videtur, quàm vt accuratè pingat, tamen in rarioribus pingendis, mihi satisfaceret, sed quoniam pleræque stir-

pes iam prius mihi depictæ sunt, sicut & Myrtomalis; & Linaria violacea, de quibus iam scripsi, ne sumprus iam frustra fiant. Post hac nõ cupio mihi aliquid pingi, nisi nominatim fortè expressero: præsertim cum quædam recentes abs te missæ, in horto mihi vi-
reant, & siccæ etiam melius à meo pictore exprimantur, quàm à vestro recentes. Animus & voluntas vestra, rei ipsius instar mihi est, &c. Vale, Tiguri 15 60. Iulij die 12.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio, Curie.

Literis tuis mi D. Fabrici, quas accepi hæctenus, certè respon-
di omnibus, sed video aliquas mihi non redditas: nam & nu-
per scripsisti te quasdam misisse ad D. Funckium, aut per adole-
scentem qui cum ipso degat: quas non accepi, & nunc de destilla-
tione Rharici vini responsum à me quæris, ego verò nihil tale à
te scriptum accepi. De picturis stirpium ante octo dies scripsi, &
alia quædam satis copiose, literis M. Theodoro affini tuo com-
missis, sed illæ, vt video, malè curatæ sunt. Nunc etiam quamvis
ægrè tibi scribo, propter ischiadis morbum, quo grauiter labora-
re nuper cœpi: quapropter ignosces inconditis literis: Quod pi-
cturas tam varias mihi fieri curasti, maximas tibi gratias habeo,
animi quidem tu in me propensissimi respectu, nam pictoris artè
laudare non possum, ac malim in posterum, si quid tibi rariuscu-
lum videbitur, vel recens, si fieri potest, vel siccum etiam floribus
& folijs præferim in libro compressis, ad me mitti: tum quia no-
stri pictores vel aridas plantas melius & viuidiore pingunt quàm
vester recentes: tum quia ita cauebitur, ne aliqua mihi pingantur,
quas iam ante probè pictas habeo, sicuti illas quas nuper misisti.
Pyrastrium Idæam dico (sic enim voco fruticem illum baccis ni-
gricantibus, dulcibus) & Sedum paruū cœruleis floribus: est enim
illud non Sedi, sed Linariæ genus. Plantaginem etiam alpinam sci-
tissimè pictam prius habeo: sicuti etiam Polyanthemom illam al-
pinam, quam Polycalathon dixeris, cuius flores caui & calathorū
ferè instar multi confertiq; coliculū rubentem ambiūt, è radice (vt
scribis) latefcēte. Frutices duo, vnus Persici ferè folijs, alter rotun-
dioribus, omnino nihil aliud quàm Salices quædā alpinae sunt, quod
in vitro quæ sapor, in altero etiam feminis species ostendit. Solent
autem in montibus nasci stirpes quædam, congeneres quidem ijs
quæ in planitie nascuntur, sed longè minores: & foliorum figura
ita differentes, vt non temerè statim dignoscantur, vt Tussilago

alpinæ, Viola alpina & aliæ complures. Sed nihilo minus ingen-
tes vobis gratias habeo, quod me iuuandi & exhilarandi studio,
tantum laboris suscepistis: nec ego minus ero gratus, ac si omnia
& mihi noua essent, & à pictore vestro optimè expressa. Quod si
non maiorem amicitiaë nostræ vim esse existimarem, quàm vt vl-
la scribendi libertate dissolui posset, non ita candidè liberèq; hæc
scriberem. Muscum alpinū floribus purpureis, nisi fallor, moschi
odore aliquando in montibus legi, quem an in tuo etiam obser-
uaris, scire velim, & aliàs maiorem huius generis stirpem, vnâ
cum radice lignosa ad me mitti. Nasturtiolum alpinum denuo vi-
dere gratum fuit, persæpe in excelsis montium mihi repertum.
Rarissima mihi fuit vna, quam in summis iugis D. Pontifella (vt
scribis) inuenit in rupium scissuris, *ἐν τοῖς τῶν πετρῶν ἀπέσπασί*: luteo flo-
re ranunculi, maiore, satis amplo, &c. hæc etiam peto aliàs ad
me mitti, fruticosiorem vt scribis: curabo enim à meo pictore de-
pingi siccam. Frutex ille folijs molliculis, subrotundis, lanugino-
sis, ignotus mihi est, & florem fructumq; quales ferat, cognoscere
aueo. Stare amplius nequeo, minus etiam sedere, ita me fatigat
mea ischias, quamobrem ignosce. Vale: Tiguri. Anno. 1560.
Iulij die 19.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio, Curiaë.

QUæ hætenus scripsisti & misisti, charissime D. Fabrici, gra-
ta fuerunt omnia, & plurima sanè ignorarem, nisi abs te
accepim, quod ingenue profiteor. Quod verò liberius indicaui
pictoris vestri picturas parum mihi placere, & sumptui hæc in re
parendum esse, malle me ipsas herbas vel recentes vel aridas: no-
lim te idcirco in posterum vel scribendo vel mittendo parcio-
rem esse. Itaq; rogo si quid offendi, vt ignoscas: scio te amantissimo mei
animo omnia fecisse, nihil abs te peccatū est, sed siquid est, culpa in
πραμματοφώρα tarditate fuit. Scio grauiora esse tua negotia, & nefas
te ab equis ad asinos (vt aiunt) trahi. Sed quoniam partim natura
rei herbariæ studium tibi conciliauit, partim ita corporis exerci-
tius saluberrimis frueris, ac simul mihi gratificaris: ego, quantum in
me est, oro ne hoc studiū profus intermittas, hoc præsertim tem-
pore, quo ego hoc vnum ago, & propter ischiadē semiclaudus do-
mi aut in vrbe saltem semper me continere cogor. Tua quidē erga
me dicendi scribendiq; libertate, quacunq; vsus fueris, nunquā of-
fendar. Perplacuit mihi carmen tuum, quo nostram illam Halicre-
nencæ

nen celebrasti, & pro eo ingentes humanitati tuę gratias ago: nam & mihi lectu iucundissimū fuit, eritq; dum viuam, aliquoties: & librum meum De fontibus medicatis, si quando recudetur, ornabit. Lemnij versus quoq; libenter vidi, an verò operi meo conueniant, nondum satis deliberaui. Quòd fontiu caloris causam in sulfur & minium reijcit, non probabunt eruditi. Quamuis enim Aristoteles putauit aquam sine sulfure nullam calere: constat tamen calidos fontes non paucos, sulfuris expertes esse: & contra, in quibus sulfur abundat, frigere. Circa minium verò prorsus somniasse videtur, nec vllò authore hanc suam opinionem tueri. Interim officium tuum gratum est. Onocrotalum quem misi, ad me reuolare iubebis. nam hic nulli sunt venales, & argumentum hoc meę curiositatē conuenit. Vale. Tiguri. Anno 1561. Martij die 20.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio, Curie.

Nimis tu quidem officiose mecum semper agis, charissime Fabrici, & tenuia etiam mea prædicas: quibus ego longè maiora me tibi debere, vt agnosco libenter, ita præstabo studiose, si tempus postularit, & meę facultates tulerint. Rogo autem, ve simplicius & familiarius in posterum ad me scribas, animus tuus, tanquam veri amici, & fratris in Christo, magnorum mihi munerum instar est. Equidem amicos genuinos, nihil non inuicem debere iudico: neque debito illo absolui quandiu viuunt, & hoc ipsum debere, eis longè suauissimum esse, & ipsissimum mutui amoris vinculum. Carmen Græcū meum tibi placuisse gaudeo, nec minus quòd in lucem non veniat characterum penuria. Hebetior enim eius genius est, quàm qui lucem bene ferat. Sat fuit mihi, tibi gratificari, quantum eius potui. Mutuum verò carmen nullum à te, quem rebus magnis, hoc tempore in primis, occupatissimum esse scio, desidero. Scio sæcundam & felicem ingenij tui in condendis carminibus venam esse, & aliquando forrè aliquid ex illo fonte petam. Monachi illius Franciscani *ἐπιγραφοῦ* ingenium admiror. Mitte aliquando aliquod de picturis eius specimen. Balnea Bormij tibi salutaria fore, existimarim: nec dubitarim mihi quoque profutura, si ischias mea, cuius reliquię manent, tam longum iter pateretur. Sed ad Augusti vsque initium multę mutationes contingent, quibus consilia nostra ceu nauigium ventis, accommodabimus. Vale. Tiguri. Anno 1561. Aprilis die 13.

umbro.
DOleo valetudinis tuæ vicem. Quanquam autem lumbrici cum vnum aut alterum excreuisti, non est necesse plures adesse. Memini multos vnum aut duos excreuisse, & simul omni molestia liberatos, quod vel plures non adessent, vel dissoluti paulatim alio redderentur. Corallinæ (marinæ herbæ) semunciam mitto & dono, eius dimidiam aut tertiam partem in puluerem tritam, non cribratam, manè sumere poteris è iure pisorum bene falso; in quo etiam vna aut altera beræ radix, si haberi potest, incocta sit. Sed pridie vesperi sub somnum, vellem te deuorare drachmam semis pilularum vitæ seu communium, è qua ferè pilulæ quinq; factæ sint cum oxymelite scyllitico. nam alioquin Corallina pueris ferè solum dari solet, tanquam infirmior pro adultis. A prandij initio memineris, vt plurimum nucleos persicorum sex aut septem deuorare, nam & lumbricos eliminant, & aliàs vtilis sunt valetudini. Suadeo etiã vt absinthij vini ad aliquot dies haustum in prandeo primum bibas, postquam parum cibi ingesseris: deinde diebus aliquot intermissis, repetas. Si paratum non habes, vino bono absinthium siccum iniice cum paucis cinnamomi, inulæ, & galangæ ac modico sale. Poteris etiam quotidie, vel sæpius, manè quantum pisum est vel faba, grunum salis deglutire. Cappares, aut oliuas mensæ adhibeto. Ex radicibus betarum & cichorij in aqua elixis per se, vel cum nasturtio aquatico elixo modicè, sale & oleo, & aceto aut vino copiosè adiectis acetarium parato. Et cum flores persicorum eruperint, vnum aut alterum manipulum in acetario edas: aut ex multiplici eorum infusione, syrupum solutiũ parari iubeto. Ex siccis cardui benedicti folijs, cum paucis cinnamomo, fœniculo & saccharo puluerè parato seu traqueam, qua vtaris cum paucis pane tostis madente vino, manè, vel à cœna. Hæc & lumbricos pellent, & valetudini tuæ in vniuersum, vt spero, conferent. Si opus erit, quod non puto, aliàs valentiora mittã. Memini me non semel lumbricos tredecim cubitorum expulisse, &c. Vale in Domino, Tiguri anno 1561. Martij die 7.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio, Curia.

Nobilissimi viri D. Friderici à Salice, doctissimi ad te epistolæ summa cū lætitia & voluptate plegi, eruditè. n. & planè diligenter

genter fontem illum acidulū, ita vt desiderabā, descripsit: & corollarium de altero etiā fonte seu riuo, sanē memorabili, addidit. Et quanquam ego de medicatis solū fontibus lubricationem institueram, tamen hunc quoq; non pretermittam, si vixero. Specimen illud ex fontis decoctione, summopere mihi placuit. raram enim & omnino peculiarem aquæ illius naturam ex eo faciliē coniicio: materia est falsa & amara: quam equidem nigrum amarum dixerim: nam illud quod ē fonte Scultini excoimus, falsum magis est, & acrius. Sed cōsiderabo diligentius paulatim, & in libro hęc me proxima ædendo, vt spero, iudicium meum, vnā cum D. Friderici descriptionibus & honorifica eius mentione exponam. Epistolam eius ad te remittam, vel cum hac nunc, si potero, vel die Veneris proximo. Cum ad D. Fridericū scripseris, summas meo nomine gratias ei ages, quod in hoc officij genere adeo promptam & diligentem operam nobis nauarit: meq; huius beneficij memoriam gratumq; futurum promittes, & exemplar libri, quandocumque editus fuerit, me transmissurum. Gratulatus mihi sum certē plurimum ex epistola eius perlecta, de tanti viri nobilitate, doctrina & autoritate præcellentis, non vulgari erga me benevolentia. Deinde quod te quoq; & D. Bullingerum nostrum (cui epistolam exhibui) tanti faciat, cognoscere iucundissimum fuit. Debebam sanē tibi quoq; suauissime mi D. Fabrici, horum bonorum mihi conciliatori, vel plaustra gratiarum agere, sed non dubito animum erga te meum, ita tibi notum esse, vt etiamsi simplicius & inciuilius sæpē tecum agam, minimē commouearis. Vale. Tiguri, Anno 1561. Septembr. die 3.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio, Curia.

Nimium tu verō officiosus es charissime Fabrici: quasi verō amicitia nostra non maior sit, quam quæ tale quicquam requirat, adde etiam occupationes vtrinq; nostras, maiores, quam vt hoc officioso genere scribendi, occupari nos sinant. Sed tua quidem erudita epistola me oblectauit, ego qui breuius rescribo, nec tecum certo ciuilitate atq; humanitate, veniam p̄ro. Gaudeo aliud esse quod te oblectet in eo quod mihi volumine. Præceptoris nomen, quod mihi tribuis, non agnosco, & vt eo in posterum abstineas, rogo. Flores qui apud vos media hac bruma flōrent, miratus sum: Floret nunc in horulo meo Arthriticę species olim à te

missa, quæ singulos flores singulis petiolis sustinet. Floret etiam Hypoglossis seu Laurus Alexandrina, cuius folium ad te mirro: prominet è medio folio lingula, è qua flosculi terni prodire solent: sed vnus tantum in eo, quod mirro, explicitus est. Ex Italia plantas duas accepi, Arbuscula cuius flores misisti, Diospyros à nonnullis vocatur, in Creta Codomalon: Bernensibus, flübirle / nostris wild füttenen / c. Electuarius ex eius fructu paratum habeo: abundat in Albio monte nostro. Vale. Tiguri, Anno 1561. Decemb. die ipso brumali, hoc est, breuissimo.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio, Curia.

Nobilem hunc & eruditum iuuenem, qui has tibi reddit, Scipionem N. nomine, humanitati tuæ, charissime D. Fabrici, etiam atq; etiam commendo. Noui ipsum diu familiariter, in vicina enim apud M. Petrum Correctorem, ante duos aut tres circiter annos, hospitium habuit: mensa verò vsus est D. D. Petri Martyris. Virtus eius & pietas nobis omnibus notissima & luculenta est: eoque nomine meritò à nobis omnibus mirificè amatur. Vixit aliquandiu Geneuæ, vnde nunc venit, & inde à viris pijs & eruditis, ad me aliosq; literas, quæ de eius virtute & pietate amplissime testantur, attulit. Quid petat, aut qua in re ei adesse possis, ex ipso melius intelliges: & proculdubio D. Bullingerus ad te et amplissimos consules vestros perscribit. Id quidem præstare vobis facile est, ipsi verò & pijs ex Italia quorum nomine petit, necessarium. Fac obsecro mi D. Fabrici, vt intelligat, se & commendatum tibi à me esse, & meam quoq; in gratiam, si opus foret, te aliquid facturum. Et si res ipsa eiusmodi est, vt ipso pietatis officio exigente, non in vllius hominis gratiam, te aliosq; viros bonos æquos & fautores ac promotores habere mereatur. Sena illa syluestris, Colutea quibusdam dicta, cuius folliculi inanes & inflati, semina quædam *факондъ* continent, nascitur ne sponte apud vos: nos in hortis colimus, verbzünne füchle quidam vocant: folia ferè, vt Senæ folia, aluum soluunt, sed ignauius. Baccæ illæ rubræ rotundæ, vmbilico quinque partito insignes, quas misisti, non sunt Cottonastri, sed Chamæmepili, quam ego sic vocaui & descripsi cum operibus Cordi pagina 214. vbi proceritatem eius cubitalem solum esse scripsi, proceriorem enim non videram: itaque bene cecidit quòd aberrastis, vt hoc obiter addiscerem. Cottonastri

naſtri folia maiora ſunt, baccæ non adeo rubræ, nec ita rotundæ, neq; umbilico ſimiliter diuiſo. Huius quoq; aliquando plantã parua (parua enim facilius quã magna creſcit, & commodius poratur,) vnã aut alterã ad me mitti velim, ſiue hoc vere adhuc, ſiue autumno, ſi vixerimus. Vale. Tiguri, anno 1562. Martij die 20.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio, Curie.

Quod tanto itinere in meam gratiã tu & D. Pontifella vos fatigaſtis, nouo et maximo beneficio me vobis obligatiſtis. Det Deus vt aliquando me vobis gratum exhibeã. Quod ad hiftoriam ſtirpium meam maturandã, antequam humanitus aliquid accadat, in hac præfertim ætate, tam eleganter & grauitè me hortaris, rectè tu quidem & amicè facis, daboq; operã vt quoad eius fieri poteſt deinceps admonitioni tuę paream. Nam & ipſe indies magis magiſq; ſentio me hominem, nec procul à mortalitatis fine abeſſe. Quæ de fontibus acidis duobus illis in pratis montanis ſupra Curiam ſcripſiſti, non ſine voluptate legi: ac pro miſſo experimento ac limo gratias habeo, conferam illud cum experimento alterius quod pridem miſiſti. *Sandthorn* veſtrum video proſuſ eundem eſſe cum *Oleaſtro Germanico Cordi*: in cuius deſcriptione lacunæ quædã à *Cordo* relicte ſunt, quas tu & D. Pontifella facile poteritis ſupplere per ociũ, ſi florentè obſeruatiſtis, etc. *Alaſa* arboris, vt *Engadini* vocant, nomina & magnitudinẽ diſcere iucundum fuit: nam apud nos multo minor naſcitur circa *Silam* torrentem propè urbem. Non eſt autem *cerafus* illa ſylueſtris quæ *Mahaleb* Arabicè dicitur, vt tu putas: etſi pictura illa in *Cordi* libris folio & fructu ei perſimilis ſit. *Mahalebi* verè fructum *M. Iacobo* dedi, & locum ſupra *Vueſam* vbi naſcatur, edocui. Eius nuclei duntaxat propter odorẽ & remedia quædam, & calculum renum præcipuè, expetuntur. *Alaſas* nomen forſan, ab *Alaterno* detortum eſt: quod nomen Latini veteres vni cuidam arbuſculæ ſylueſtri tribuebant. Hodie à *Gallis* & *Italis* ad diuerſas, ni fallor, refertur. Cum poſterioribus tuis accepi folia & flores *Coluteæ* à quibusdam dicte, ego *Senam* ſylueſtrẽ vocare malim: nõ quòd verè gentilis ſit *Senæ*, ſed quia magnam in folijs, fructu ac viribus ſimilitudinẽ habet: ſoluit enim aluum paulò minus efficaciter quã ipſa *Sena*. Aliqui propter raritatem ac pulchritudinẽ, aut etiam uſum medicum, in hortis alunt. Vale. Anno 1562. Octobris die 12.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio, Curia.

alendus

Occupationibus tuis ignosco mi D. Fabrici: & mihi vicissim veniam peto, siue scribendo fortè, siue aliter officio meo minus satis fecero. Quod ad calculum, condoleo tibi: eius quidem rudimenta in me quoq; sentio. Non dubito, quin fraga adhuc apud vos reperiantur. Ea bene matura in phialam aqua ardente optima plenam conijcito, post horas quadraginta circiter, colato, & rursus noua fraga in eandem aquam ardentem iniijcito, ac sic relinquito optime tecta et munira, ne quid expiret. Prima autem fraga que post colaturam supersunt, per linteum validè exprimere poteris, & expressum eum liquorè, seorsim seruare. Cum vti voles, ter aut quater in mense, cochlearium plenum sumes manè, & addes puluerem de faccharo cando. Gratum & efficacissimū hoc remedium est, quod aliqui vltra viginti annos calculo conflictati, præ ceteris omnibus, que innumera eis diuersi medici præscripserunt, mihi commendarunt. Sed in victus ratione curam adhibebis, ne crassi & viscosi humores generentur. Consule igitur medicos vestros, & ter aut quater in anno leui purgatione vteris: interdum folio aquæ calidæ, cui incocta sit copiosa malua, chamæmalum, hedera terrestris, artemisia, melilotus, vacuo ventriculo. Mitto nunc aliam herbam, Bârlapp Germani vocant: est autem ceu muscus quidam lignosus & vimineus, vt huius quoq; nomen exploretis mihi, si quod sit apud vos, aut D. Pontifella Italicum quoq; aut suæ patriæ: amat enim montana loca, & vbiq; ferè celebris. Semen ei in panniculis pulueri simile, quod mirè efficax est contra calculos. Pulmonariam aliqui vocant, à remedio pulmonibus celebrato: iniijcitur & vino pendulo (mucido) vt ipsum restituat. Repit per terram, & radices agit vbi contingit, per interualla, &c. Dubito an Sandthorn frutex, possit esse Lonchitis Indica Dioscoridis. Videat D. Pontifella per ocium, an virgæ eius rectæ sint, tricubitales aut maiores, à radice statim numerosæ & rubo crassiores, & an cortex fractus subrubeat. Velim etiã succum mihi exprimi ex acinis & decoqui ad spissitudinem mediocrem. Audio te habere probatissimum quoddam remedium pro mammillis mulierū. Id ex te cognoscere velim vbi vacabit: interim hoc meum tu accipe. Ad Cataractas (Latinius suffusiones oculorum dicunt, nostri starren) quas pleriq; omnes chirurgia tantum curari posse existimant, à doctissimo & amicissimo mihi medico per sæpe experto, his diebus

bus mysterium hoc ad me perscriptum est. Ex fece olei & omphacio, id est, de vuis acerbis expresso succo, vnguentum fit, quo malum hoc sine morfu & periculo curatur. Placet remedium Theophrasti ad pestem, adhibitis gallorum podicibus, &c. nam & alij quidam doctissimi de peste scriptores, idē tradiderunt. Sed prius euocari toto corpore sudor debet, tali medicamento plerunque, (pueros enim excipio.)

℞. theriacæ optimæ ℥.ij. philonij Romani z. s. camphoræ, euphorbij ana gran. iiii. cornu monocerotis, aut terræ sigillatæ ℥. s. cum paucis aceto diluta bibantur, & supersudet æger. Huic ego (cum gratia Dei) plurimum confido. Vale. Tiguri 64. Iulij die 21.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio, Curia.

PERgrata mihi fuit epistola tua doctissime Fabrici, qua non solum amicitiam nostram officiosè confirmare voluisti, sed condimentum etiam addidisti, quo ego quidem maximè delector. Quamobrem gratias tibi habeo, & si quid posthac etiam rariusculum inueneris, necum vt communices, oro. Ex tribus illis herbis quas misisti, prima, quam vulgò ab auro denominant, Polium est, aut Polij species, & à medicis ac pharmacopolis pro vero Polio vsurpatur. Nostri speciem aliam, Dioscoridis descriptioni magis consentaneam, Lugduno accersunt. Sed omnino generis vnus species duæ sunt. Nascitur apud nos quoq; satis copiosè, sed vno tantum in loco, & angusto tractu. Altera Apio satiuo similis, nulla apud nos est: memini tamen circa lacum à felibus dictum, inuenisse. Seseleos speciem neq; ipse putarim. Nam omne Sesele radices vegetas & satis validas habet, & caput radices setosum, quod & alijs quibusdam vmbelliferis, sed paucis contingit. Sed neq; Petroselinum Macedonicum. hoc enim Galenus in petris quidem montium, præsertim Macedoniae, nasci scribit: sed adeo medicatum & vehemens, vt nullum Apij genus acrius, amariusq; reperiat, quibus etiam qualitatibus vniuersam theriacam inficiat. Ego Astrantiam in eius vicem suppono. Oreoselinum appellemus licet, quod & montana sit herba, & selino quam simillima. Semen eius maturum ad me mitti cupio, vt certius iudicem. Tribuit enim ei Dioscorides semen cumini, oblongum, acre, odoratum, tenue. Noui & alias duas Oreoselini species. Existimandum est autem nullas propemodum herbas esse, quæ non genus aliquod consti-

tuant, in duas aut plures species diuersas diuidendum. Gentianatis vnam prisca describunt, mihi decem aut plures species notæ sunt. Tertia, Caryophyllata alpina, quæ vt cætera minor est campestri & urbana, sic capitulum seminum multo maius habet, instar penicilli hirsutum, & si bene memini, incanum. Vale. Iunij die 4.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio, Curia.

Proposueram vos inuisere hac æstate, ornatissime Fabrici, sed Voluminis mei *περὶ ὕδρων* editio, diucius, quàm putabam, protracta, & ædium mearum edificatio, hætenus diu & adhuc me occupat: itaq; in aliud tempus differre cogor. Herbas montanas abs te missas libentissime vidi. Doronicum, quod *Miterwurz* appellatis, aliqui *Grassoy* vel *G. m. senwurz*: non aliud orientale quàm nostrum est: nisi quòd flore quidem discrimen aliquod facit. Montana verò illa herba, flore quidem Doronici, sed folijs plantaginis, radice aromatica, sui omnino generis est, cuius equidem vetus nomen ignoro. Nimirum quod in Oceani piscibus nobis vsu venit, vt multorū veterū nomina ignoremus, quòd Oceani pisces, ab antiquis non sint descripti, sed mediterranei duntaxat maris, cuius Græci Latiniq; accotæ fuerunt: idem *περὶ τὰ ἐν τῆς γῆς ὕδατι* contingere non est mirum: alpinas enim herbas paucissimas memorant authores, & suas singulis ferme regionibus peculiare haberi certum est. Herba illa folijs tenuiter incis, flore aureo rutilante, hætenus nunquam à me visa, plurimū me oblectauit, magnam eius vim, vehemens in gustatu acrimonia, arguit. Oblectauit me etiam rarum illud Pilosellæ genus: quanquam etiam prius videram, & pinxeram. Gnaphalium alpinum vocemus licet. Herbula illa tibi incognita, umbellis aut potius corymbis florum luteolis & suauè olentibus, vt scribis, aridi quidem nihil olent, *ὁμοίαν* species quibusdam videtur: ego vero *ἰνίζα*, qui seminum vascula nondum viderim. Thlaspi enim omne, *τὰ μελαρπία τὴν ἀσπίδα* habeat oportet vt *περὶ ὕδρων* sit, id est, suo nomini respondeat. Vale. Augusti die 2.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Fabricio, Curia.

Pro literis tuis, nimum quidem officiosis illis, doctissime Fabrici, & rebus varijs pulcherrimisq;, quibus vnà missis me distasti, plurimum tibi debeo. Philonem tibi gratum esse, gaudeo, sed
quota

quota pars hæc est debiti mei? Meminero, ne dubita, officij mei, & alijs alijs misistandis me saltem non vndiquaq; ingratum tibi declarabo. Vellem equidẽ te aliquid à me petere, nunc quia nõ petis, leuicula quẽdam & nimijs interuallis, mitto. Da obsecro mihi veniam, qui te hominem grauioribus & sacris studijs occupatissimũ, nugis meis roties interpellare non erubescam. Si mihi hoc medicũ vestri aut Pontifella præstarent, desinerẽ tibi esse molestus. Gladio minor tuus, proculdubio Crocus montanus est, antiquis etiam memoratus: talẽ enim omnino qualẽ misisti, croci floribus, Benedictus Martinus, vir eruditus, Bernẽsis, ante bienniũ suis coloribus pictũ ad me misit: semina hæctenus nõ videram. Crescit ne apud vos copiosẽ? quo loco? quali solo? an in vllõ vsu aut honore? radices plusculas, vt pangã, cum occasio fuerit, vt promittis, expectabo. Lunariam Græcam, quam Flitteren appellant, multam iam hic habemus, sed floribus inodoris: quibus odoratis genus alterum reperiri audio, hæctenus mihi non visum. Violam quoq; alpinam illam, cœruleis floribus scitẽ dissectis insignem, quã abs te misissimam plantam, aliqui Lunarijs adnumerant, & vim ferri attrahendi, (ita vt equorum etiam transeuntium vngulæ soleis ferreis priuentur) attribuunt: quã verẽ, ipsi viderint. Rara mihi est etiam arthriticæ (von Schlüsselblümmlin) illa species, floribus singulis, non in corymbis. Misisti cum reliquis speciem Aquifoliæ, (des Strechenden palmens) nullis per marginem foliorum spinis, præter quã in mucrone: quod an ei perpetuum sit, & ad quam altitudinem perueniat, scribes aliquando, & fructus maturos mittes, si commodẽ fieri poterit olim: aut plantam exiguam cum radice. Vale, Iunij die 16. Anno 1559.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Funckio medico doctissimo, Memmingæ.

GRatissimum est officium tuum, quo meas ad amicos & illum ad me literas, subinde transmittis, charissime D. affinis: & æquum erit, vt aliquando de gratitudine cogitem. Flos à te missus, hepaticæ albæ nomine describitur à Valerio Cordo descriptionis plantarum libro 2. capite 115. vbi ego iconem quoque præmissi. Antiquum eius nomen apud Græcos aut Latinos nullum inuenio. Saxones & alij quidam Germani Lãber Blümlẽ vocãt, vnde Hepaticæ nomẽ Cordus finxit: existimatur enim hepati prodesse, est quidẽ subamara. Poloni vocabulo quodã suo appellant, quod nostra lingua sonaret *Wetinfrafft* / Græce *ἰννὰδ' ἰννῆμῆς*,

Fraxola
 vt Schneebergerus meus annotauit. Ego his diebus me purgavi
 scrupulo vno Gratiolæ herbæ tritæ, admixto cum rob sambuci a-
 cinorū: vnde copiose & vomitu & aluo purgatus sum à pituita vi-
 scosa & aquis maximè, non sine molestia. Hoc etiam D. Occoni
 scripsi. Nuper cum remedia quædam darem pleuriticæ anui, deco-
 ctionem fenogræci meam, & parum oxymelitis, &c. ea melius
 habere cœpit, & per aluum deiecit scarabei genus nigrum, longis
 pedibus, & cornibus quoq; longis, ac flexilibus, articulatis, vnde
 que plenum pure, viuum, longitudine duorum articulorum digi-
 ti: prius autem aliquandiu in ventre nescio quid inquietum et vel-
 licans sentire se querebatur. Vale. Tiguri 1564. Martij die 26.

CONRADVS GESNERVS IOHANNI

Functio medico.

A Ccepi quæ D. Occo misit, & gratias tibi ago: Vxor̄is tuæ va-
 letudinem Deus Opt. Max. restituat sua gratia. Quod vrina
 interdum crassa & ferè nigra est, nõ malum in hoc morbo signum
 videtur, præsertim cum in hypochondrijs et lumbis non malè ha-
 beat. Menses fortè non satis purgati ante hunc morbum, & nunc
 etiam in ipso morbo, huius rei causa sunt: interim verò nisi natu-
 ra & facultas expultrix validior esset, non posset malam hanc ma-
 teriam expellere: quam obrem spero eam ante solstitium, Deo fa-
 uente, melius habituram. Tu interim pro tua industria ei prospici-
 es, ita vt non nisi leuiter euacues per interualla. Primum velim
 eam sumere oxymelitis nostri ʒ. j. s. cum duplo syrupi de limoni-
 bus; aut de liquiritia, si tussis adhuc infestet, & hoc vel lambere,
 vel, si malit, bibere, cum aquis hyssopi et cichorij ana ʒ. s. idq; con-
 tinuare triduo. Si oxymeli meum non habes, Augusta habere po-
 teris, nam D. Achilles paratū habere solebat. Post hæc leuiter pur-
 gabis cum decocto communi, aut simili, oprimè colato, cui syru-
 pum de rosis solutiū vel de cichorio cum rhabarbaro vel vtun-
 que addas. Deinde olei vitrioli guttas quinq; ex vncia i. s. aquæ
 absinthij cum ʒ. s. syrupi violarum dabis si placet per biduum: po-
 teris autem Augusta habere D. Occonis opera, qui vel aliunde vel
 à Sigharro Pharmacopola mihi charissimo accipiet. Sic sperarim
 omnino, & febrim primū desiruram, & quæ eam comitantur
 symptomata Matri tuæ his diebus calculus molestus fuit:
 nunc meliusculè; lapillo excreto, habet. Vale.

Tiguri 1564. postridie Pentecostes.

CON

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Functio medico.

Litera tua septimo Decembris data, tardius huc perlata sunt. In ijs attingis quaestionem illam. Vtrum venae sectio fieri debeat in peste ante aut post sudorem: quam ego certè veluti dubiam & distinctione indigentem relinquo. Vt plurimum tamen & in plerisque, si ea opus habere aeger videatur, ante sudorem, aut etiam sine sudore quandoq; imperanda videtur. Nos haecenus experiundo nihil ferè effecimus, nulla in tempore data occasione. Nunc Dei gratia in totum ferè remittit pestis, maximo frigore oborto. Nos iam per sepe vtilissimum experti sumus aceti stillatitium liquorem, cuius compositionem etsi te habere puto, huc adseribam.

Pestis

Aceti

Nuces iuglandes immaturae (in iuglandium defectu semel & iterum cortices Tamarisci radices accepimus: licebit & Froxini corticem ponere) circa diem S. Iohannis in primis (nos hic in Octobri etiam immaturas adhuc inuenimus de specie quadam iuglandis, quae non ante Solstitium germinat) numero centum, minutatim contundantur aut concidantur. Scabiosae, Verbenae, Solani, Semperuiui ana. M. j. misceantur, & affuso aceto optimo bulliant: dein sic maneant per noctem, postridie destillentur igne leui. Sic habet descriptio, quam reperi in libro Germanico Augustae olim excusò: cuius titulus est. *Balender von aller hand artzney durch anzeigung der siben Planeten / etc.* sub finem eius in libello sane vili Michaelis Schrick de aquis destillatis: tribuit autem hanc compositionem medico Turcae innominato. Dosis est, vt scribit, cochlearij, & grotoditum. Ego ad praeseruandam vitam parum darem, ad curandum verò vnam aut alteram vnciam. Omnino sudorem statim mouet. Misceri poterit ei, theriacae vel alterius antidoti dosis conueniens. Gratus omnino liquor est, & internos aestus egregiè extinguit sine vlla noxa, ac vires labantes reuocat mirè, siue per se, siue cū syrupo de acido citri succo detur. Desperatos etiam refocillat. Nuper virgini tertio die à decubitu consilium quaerenti, duo cochlearia eius dedimus: vnde cum statim circa cor melius haberet, neque sudasset antea, paulò post remedium sudorificum dedimus, sudauit, conualuit. D. G. Viro iam desperato, cum dedisset mulier quaedam, quae à nobis acceperat: hoc, inquit ille, omnia quae medici haecenus dederunt, remedia superat. Plurima testimonia addere possem, sed haec sufficiunt. Ego solidi parum expe-

periri possum: in tota enim hac peste, nunquam à principio vocatus sum, non sumpto prius remedio aut secta iam vena ab ægrotis. Aliqui medici eruditi in ea sententia sunt, non dandas esse antidotos nimium calidas, vt sunt theriaca, elect. de ouo, &c. & sudorem non à principio statim mouendum: sed post leuem purgationem, tertio ferè die aut quarto: neque tandiu sudandum, vt fieri solet. Hispani Album animæ, vel Anymum album vocitant, liqorem quandam concretum: quem Amatus Lusitanus Laccam esse somniat, eum nuper Pharmacopola quidam ad me misit: est autem (quod statim deprehendi) succini (Galli ambram vocant) Indici vel ex nouo orbe, species albicans, translucida. Habeo & Aethiopicum succini candidi, transparentis & suauiter odorati particulam. Vale. Tiguri 1564. Nouemb. die 19.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Functio medico.

Respondeo D. Oconi: ad quem literas meas non obsignare cum statuissem, nescio quomodo oblitus sum: sed reseraui vt tu quoque legas, si placet, & postea mittas. Tertias qualitates aut facultates è secundis manare puto, secundas è primis. Interim fateor multas rerum multarum rationes nobis esse incognitas, quarum fortè aliquæ, nulla qualitate sensibili, sed à meliore causa, forma essentiali fiunt: multa verò formæ tribuere puto homines, propter incitiam, quoniam causas rerum, quas inuenire poterant, non indagant. De tempestiua sectione venæ ante vel post sudorem, vix aliquid stabile decerni potest, cum circumstantiæ infinitæ accidere possint, propter quas medicus ex arte & industria sua aliquid mutare potest ac debet. Omnia mea præpropera, & præfestinatione penè abortiua sunt. Ignosce occupationibus meis. D. Bullingerus te resalutat. is ante biduū primū exiuit, & cōcionem habuit. Oxymeli meum experior peste correptis etiam vtile, siue à principio dentur drachmæ duæ, circiter cū aliqua leui aluum soluente potiuncula, siue etiam postea, vt venenum protrudatur à centro ad superficiem & apostemata, vtq; meatus corporis diuersi aperiantur drachma vna, vel, s. cum sapa aut alio grato liquore. Mitto editionem secundam libelli nostri, in qua de phlebotomia præsertim paulò fusius. Vale. Tiguri 1564. Decembris decimoseptimo.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Funckio medico.

Hodie alteras tuas accepi, vnà cum gratissimis mihi D. Occo-
nis, & D. Culmanni literis, quibus respondebo vel nunc, si li-
ceat, vel proximè. D. Culmannum nosti puo, conuictorem meum
olim fuisse, anno aut amplius. Vir est planè bonus & eruditus. Pro
tuo officio quod nobis in transmittendis mutuis literis offers,
gratias ago. Gratium fuit & quod de cichorij puris floribus de-
stillatis scribis: an verò calculi illi eius vsu in puero expulsi, à re-
nibus aut vesica oriundi fuerint, non satis exprimis. De arterio-
tomia illa, quæ meo consilio feliciter successit, non vacat nunc
scribere. Summa est: Chirurgus hic laborans immani hemicra-
nico dolore, meo consilio arteriam in crotapho affecto (vbi arte-
ria inflata apparebat) per transuersum amputauit, & subito con-
ualuit, & hæctenus multis iam annis non redijt dolor: cum prius
anno interposito redijset. Mira est historia, aderat & D. Thad-
æus Dunus. Oxymeli quoque meum non vacat iam describere,
multum quidem à Iulianico distat. His diebus pleuriticum senem
bibliopolam septuagenarium, vena non secta, oxymelitis vsu &
decoctione fornogræci mea, curavi, Dei gratia, probe. Is verò si-
bi antequam me accerferet, cataplasma ex absinthio in aceto fer-
uefacto, calidum ter quateruè adhibuerat, quo aliàs se adiutum
aiebat, nunc ferè nihil prodesse. Hoc quidem ex absinthio reme-
dium aliàs etiam ab Empirico quodam valde mihi est commenda-
tum in pleuritide, vt nò dubitem ipse etiam eius periculum facere
aliàs. Hæc scio te cum D. Adolpho communia habere, cui me excu-
sa, quòd non scriham: coniuuent oculi, nimia iam nocte. Vale.
Tiguri 1565. Ianuarij die 21.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Funckio medico.

Accepi charis. D. affinis, numos D. Simleri nostri, & alia à
D. Occone missa: & magnas tibi gratias ago. Beryllū quoq;
gemmam cum cæteris, libentissimè vidi: & eam cum his remittam
in pegmatio seu vasculo ligneo, si mater tua tuò fieri posse puta-
rit: si acceperis, tu quoq; curabis, vt non nisi certissimo nuncio D.
Occoni remittas, vbi tu prius inspexeris. Est sanè pulcherrima &
magis precij, nec vidi pulchriorè. Si sub die sereno, imò sub recto
etiam: in Musæo mihi intuenti, specularium (fenestrarum) imaginè

ἀνδρῶν ἑμῶν mihi regerebat, intuearis, præter candidum splendor
 rem, cœrulei virescentis aliquid animaduerres. Τὸν ἰσὶ θανάτοραβῆ
 πρὸς καὶ γλαυκί(σσορ) χόρῳ τῶν τῶ βρυγῶν ἰδίαρ τῶ πρῶτῃ ἔδῃε παρὰ Επιφάνιορ. Ego
 rude quoddam specimen olim à gemmario emi (cuius color plus
 cœrulei habet) non berylli, sed aquæ marinæ nomine. Aurifabri
 nostri quoque Berylli nomen non agnoscunt: sapphiri autem spes
 ciem hanc gemmam esse putant, & præduram esse, ideòque inter
 sculpendum in sima eius parte aliquid resistisse. Plura de Beryllo
 ex Collectaneis meis nondum impressis perquirerem ac descri
 berem tibi, vt maiori voluptate inspiceres: sed non vocat. Folium
 è Gallijs Augustam transmissum planè nouum mihi fuit: quamob
 rem gustare volui. illico autem magnam acrimoniam sensi, tertij
 gradus, quæ plurimum saluæ aquosæ elicit, vt ea ferè quæ sumpra
 purgant aquas, Laureola, Thymelæa & huiusmodi. paulò post e
 tiam vertiginem sensi, cui alioquin non sum obnoxius, & postri
 die cum rursus manderem, singultum & vertiginem rursus: quare
 os ablui, & cochleare aceti sorpsi, ita discussa est vertigo. Quic
 quid est, veneno carere non puro: in cane experirer si plusculum
 haberem, sed folium integrum inuitus discerpo. Depingam, donec
 integrius, aut plantam (quod optarim) integram assequar: & ne
 prorsus ἀνάσσορ, Vertiginosam vocabo, donec aliud nomen au
 diam. Vtinam D. Occo plantam integram & semen mihi acquire
 re possit vndeunque, & quæ de eius natalibus, nomine, viribus
 feruntur, percontatus ad me scriberet aliquando. Eadem verò
 opera de alia etiam noua herba in Gallias nuper allata (& Lug
 duni nota, Nicotianam à legati nomine, alij Pontianam vel Po
 tium Theueti qui Galliam Antarcticam scripsit, vocant) inquirat
 & semen petat: iconem eius, sed imperfectam habeo, & mira quæ
 dam de facultatibus eius ad me perscripta. Cæterum planta illa,
 quam D. Occo in sylua quadam ducatus Vuirtembergensis vni
 cam reperit, frequens nobis est, Vnser frauwen schûle appellât,
 hoc est, Calceo: os virginis à forma floris, qui magnus, luteus,
 pulcherrimus, & planè calcei forma est. Vfus apud nos nullus. De
 veteri nomine dubito, quidam vir doctus Lonchitin primam esse
 putat: ego ad Alismatis species refero. Fructus, semen, odor &
 sapor cum succo glutinoso & subacri, τοῖς ἕρπυδι νεγομένοις cognatam
 esse arguunt, etsi radix testiculata non sit. Cosmofandalos Pau
 sanix fortè fuerit: nam & sandalij formam refert flos, & punctis
 ceu literis quibusdam notatur, etsi Pausanias Hyacinthum esse
 coniicit, sed huic cum sandalio nihil. Domino Simlero nostro po
 dagrico,

dagrico, si quid tu quoque consilij, de sententia Rondelletij, vel aliud dare potes, rem nobis gratissimam feceris. Oblitus sum ad D. Occonē scribere de puluere Iouis dicto, quo D. Achilles Gasferus, ni fallor, in podagricis vtitur, vt de eo quoque sententiam suam perscriberet. Remedium quoddam est simile ferè Diatessaron theriacæ, sed pluribus admixtis: puluis fit peramarus, cui aliqui etiam ossa combusta addunt, idq; pro magno arcano cælant, & per totum ferè annum, quotidie drachmam sumi iubent. Ego medicamenta varianda, tum quia natura aliàs alia desiderat, tum quia vni assueta parum amplius ab eo mouetur, censeo: & periculum videtur, ne tam longo vnius medicamenti tam validi vsu, totus corporis habitus nimium exiccetur. His Vale. Tiguri 1564. Nouembris die quinto. Oleo vitrioli aliàs, & aliàs oxymelite nostro, quartanarios quosdam curauit: nūc cuidam neutrum horum à me datum, profuit, succus autem gentianæ bis datus, illicò febrim omnem licet grauissimam, ademit: sicut & aliàs prius, vt tertianam notham, &c. D. Vuolphius & ego curamus cholericum quemdam cholera morbo acuto laborantem: cui heri dedimus oleum vitrioli, & visum est profuisse, ac mouisse aluum, de euentu, si meminero, aliàs. Vale iterum.

CONRADVS GESNERVS FELICI

*Plattero Doctori medico
Basiliensi.*

PRO beneuolentia tua, doctissime Plattere, quam verbis præte tulisti, cum estate superiore nobiscum esses, magnas tibi gratias habeo. expecto autem vt reipsa quoque eorum quæ desidero aliquid præstes. quod si feceris, & amari me abs te intelligam: & officij erga te vicissim mei, memor ero. Theophrasti Paracelsi scripta quæcunque habes aut habere potes, cupio & oro enixè vt mittas, vnà cum libello quodam eiusdem authoris apud vos (vt referebas) impresso. Ex rebus marinis tuis Pastinacam, Polypum, Spadam & Lacertum, si placet, mitte: siue commodato ad aliquod tempus: siue dono, non sine mutui muneris spe: siue precio. Aquatiliū *ànovas* seorsim nunc edendas curo, cum nomenclaturis variarum gentium diligenter & copiose adscriptis. quas, cum absolutæ fuerint, si te desiderare cognouero, mittam, & si quid aliud petes. Nam propter multa & magna optimi parentis tui in me beneficia, nihil est in rebus meis quod tibi negare aut possim, aut.

debeam. Vale, & parentem meis verbis quàm officiosissimè salu-
sa. Tiguri. Anno 1558. pridie Kal. Nouemb.

CONRADVS GESNERVS FELICI

Plattero Doctori medico

Basiliensi.

Polypum, Pastinacæ marinæ caudam, & Lacerti caput accepi:
pro quibus humanitati tuæ, optime & charissime Plattere,
maximas habeo gratias: vbi volueris remittam. Est ne hic La-
certus viridis? an vulgaris circa Monspelium, & quantus? Im-
peratoris seu Gladij piscis caput cum rostro, per D. Simlerum no-
strum nunc vt mittas, rogo: & si opus est, ne frangatur, vase, vel
aliter caueas. Remittam ad te, si voles, omnia: & si quid præte-
rea volueris de nostris rebus aut libris. Vtinam etiam herbas
tuas aridas omnes ad me mitteres inspiciendas, si quid fortè rari-
inisset: aut saltem Catalogum earum. si miseris, integras remit-
tam statim. Theophrasti libros duos impressos accepi, quorum
precium proximis literis indicabis. Ficus Indica mea, metuo ne
quid patiatur: apparent enim in folijs passim maculæ multæ qua-
si rubiginosæ. Vas in quo est, collocaui in cubiculo tepido, con-
sigo hypocausto meo. Gratissimum mihi erit iudicium tuum de
compositione trochiscorum theriacalium. Habeo Rondelletij de
theriaca scriptum, in quo is, si bene memini, parum interesse pu-
tat, si pro vipera alij serpentes communes accipiantur. Quic-
quid à te proficiscetur, non poterit non pergratum esse. Breui, vt
spero, aliquid de nostris lucubrationibus videbis. Vale, Tiguri.
1559. Ianuarij die 16.

CONRADVS GESNERVS FELICI

Plattero medico.

Icones animalium ad te peruenisse gaudeo. Pro dente apri, ma-
ximas ago gratias. Osteocollum lapidem nominavi, quem mihi
retuleras in Palatinatu vel circa Heidelbergam reperiri, mittere in
restituendis ossibus fractis efficacem, cuius specimen, id est, fru-
stulum, peto, vt promissisti: ego forsitan copiosius acquirere pote-
ro. Beinwell (puto) vocabas. Experimenta tua quæ seorsim con-
scribis, vt matures, & ad me mittas, opto: idè mutuo tantum. re-
dibit ad te tuum exemplar. & sic me inuitabis, omnium alioquin
occupatissimum, vt vicissim mea aliqua non vulgaria, tibi & in
tuam

tuam vnus gratiam conscribam. interim cum ad me scribes, singula saltem aliqua mittito aut scribito, quod idem ego faciam, ne literæ nostræ vltro citroque sine aliquo rei medicæ fructu perferantur. Remedia tua ad elephantiasin accuratè mihi perscribi, rogo. Auocat nunc me cœna, & multa negotia. quamobrem ignosce. Vale. Tiguri Maij die 16. Anno 1561.

CONRADVS GESNERVS FELICI

Plattero medico.

Vuis ne mi Plattere? & quid rerum agis, quæ nostri memoriam tamdiu excutiunt? Nunquam ad vltimas meas respondisti, & promissa quædam olim, nondum præstitisti. adeon' rei familiaris augendæ totum te mancipasti, vt nullus amicis locus apud te superfit? Sed ignosco: modò breui longam hanc taciturnitatem soluas, & vel verbulo ad nos scribas. In præsentia iuuenem hunc doctorem medicum pereruditum tibi commendo, nunc primum ex Italia & à Concilio redit, &c. ignosce necessariæ breuitati. ostendas ei rostrum Gladij, & si quid rarum habes. Vale. Tiguri. 1562.

CONRADVS GESNERVS FELICI

Plattero medico.

Cvm vicinus hic meus subitò se descensurum ad vos moneat, subitò etiam has effudi. Euporistæ Dioscoridis liber Argentinx impressus vt breui ad te perueniat, curabo. Tu munusculum boni consules. Plantas siccas tuas rogo vt iterum mittas, iam nunc enim ijs opus in primis haberem. Reddam integras bona fide. Sed malim dolio includi, quàm huic tradi: nisi commodè admodum ferre possit. Populum albam si paruula inueniretur, ad me perferret. Scripsi de eo ad D. Zuinggerum, &c. Bene valerem ego, Dei gratia, nisi me infestaret interdum dolor in dorso & lumbis: quem partim ischiadis reliquijs tribuo, partim præludenti in me calculo. Arenulas enim subinde reddo. tu si quid habes auxilij, mi D. Felix, comunica, vt grauissimo huic malo (calculi dico, à quo magis quàm ischiade mihi metuo) maturè resistam, ego vicissim, quid in calculo præsentè & paroxysmo ipso feliciter sim expertus aliquoties, scribam proximè. Nunc tabellarius moram non fert. Sorbus est ne tibi nota? an Basilea aut propè reperitur? florem pictum valde desidero. Vale. Tiguri 1563. Martij 22.

DE diuturno silentio tuo, doctissime D. Plattere, accusare te non possum, cum ego quoque eiusdem culpæ sim reus: etsi ego mihi venia magis dignus videor. nam cum vterque nostrum suas occupationes habeat, tuæ (ni fallor) priuatæ solum, meæ verò publicam utilitatem respiciunt, quam edendis meis in Stirpium historia tam diuturnis laboribus, promotum iri confido. Deinde cum tu postremis tuis ad nos literis, de tuo ad nos aduentu spem aliquam nobis feceris, ita factum est, vt officium literarum aliquandiu intermiserim. Nunc quidem ea maxime causa scribo, vt te salutem, & me tui memorem esse declarem: deinde vt petam mihi veniam dari, quòd plantas tuas aridas tandiu retineo. Aestate proxima tota occupatissimus fui circa stirpes florentes & virides depingendas, sumq; etiamnum. Hyeme autem instante, cum virides non supperent, ad siccas me conuertam necesse erit: itaq; peto, vt ad Ver vsque proximum pro tua benignitate plantas tuas mihi permittas: quas integras cum gratiarum actione recipies. Mitto specimen iconum nostrarum, vt me serio agere videas. Sorbus nulla apud nos reperitur. Tu si ramulum cum fructu, vel vtrunque seorsim, mittere poteris; rem facies mihi gratissimam. In Alfatia abundare audio. Ramulum vnum libro imponere poteris, donec mittendi occasio sit. fructus etiam adhuc reperiri spero, sunt enim serotini: de ijs paucos (sex aut septem) in vasculo aut papyro inuolutos mitte: quod si in certa forma, vt botri, aliâuë, crescunt, plures coniunctos mitto. Si arbor paruula inueniretur, quæ plantari posset: gratissimum faceres, eam mittendo ante hyemem: posset autem tradi aurigæ alicui. Peto etiam arbusculam minimam; vnam aut alteram populi albæ, quæ hic non reperitur. Basileæ autem in prædio parentis tui vidisse meminimus, ad stagnum puto. Postremo vnam alteramue plantam Eryngij desidero, perfectas duas cum fructu (nam florem non amplius haberi metuo) & duas iuniores plantari aptas. & seminis aliquid in cucullo papyri. Aurigæ qui attulerit, satisfaciam. Plura nunc prænegotij non licet. Saluta honestissimos parentes. Vtinam ante hyemem ad nos venires: facerem (Deo dante) ne te pœniteret aduentus tui: Audio excusum esse recens Theophrasti quendam librum, ab Adamo à Bodenstein editum: quicquid id est, cupio te indicare M. Petro Mechliniensi,

vt ad me mittat. Vale felicissimè, Tiguri 1563. Octobris die 17.

CONRADVS GESNERVS FELICI

Plattero medico.

Pestilentia, charissime mi D. Plattere, apud nos quoq; iam incepit, sex aut septem domibus infectis: & (vt audio) in vicinis quoq; oppidis ac pagis. Deus & vobis & nobis omnibus pro sua infinita gratia sit propitius. Optimi viri parentis tui & præceptoris mei conualescentiæ ex animo graulor. Iniunxit nobis medicis magistratus, vt aliquo scripto breui præseruandi & curandi rationem communem aliquam, quoad eius fieri posset, complecteremur: quod vbi factum fuerit, hoc est, propediem ad te mittam. Singularia & secreta remedia si quæ haberem, tibi vni præ omnibus lubentissimè aperirem. Sed nihil ferè est, quod nõ in edicis aliquibus libris inueniatur. Aliqua tamen scribam, vt desiderio tuo satiss faciam. De phlebotomia quæ nobis visa sint, D. Vuolphius noster, se scripturum ad te recepit, & alia quædam. Ego missurus fueram descriptiones remediorum ex euphorbio duas vel tres, quibus plurimum tribuunt Itali & alij quidam: sed iam non inuenio. Vnam in libello suo de peste ponit Andreas Lacuna, si illum fortè habes. Mitto Eustachij Quercetani, qui medicinam Franckfordiæ facit, epistolam: mittam autem propediem alia cum inuenero. Vtinam meliora ad te dare possem, in tanta rerum afflictione, ita me Deus amet, vel vitam meam tibi communicare paratus forem. Venio ad tua interrogata. Antidotus Saxonica, vt contra venena, ita & contra pestem mirè efficax est. Amicus quidam meus, medicus nunc Argentiinæ, (Etschenreuterus nomine) ante annos aliquot Tubingæ peste laborauit, & curatus est. Ante menses autem decem ferè puto, Argentiinæ, cum huius antidoti ʒ. j. sumpsisset, præseruandi se gratia, & in lecto sudaret, eodem in loco vbi antea fuerat apostema, rursus emerit, sed mox discussum est, nec maliquicquam est passus. Vt vere igitur ea audacter. nam & calidissima quædam remedia continet, vt lauræ solani nostram, zyland dictam: & frigidissimam herbam Paris, quam nostri Frigle frut. & Blatter Frut. & einbeer aliqui vocant, quodd acinum vnicum inter folia quaterna habeat: inuenitur autem vbique circa syluas. Fuchsius aconitum primum ineprè facit. Reuera enim solani's cognata est herba. acinis eius deuoratis gallinas mori audio. Siccam vnam ad te mitto. Acinos iam in syluis defluxisse puto: in quorum locum substitui possent acini alterius syluatici solani, quod Doll-

Antidot
Sax:

wurtz / nostri schlaffbeere cognominant : sed tanto pauciores,
 quanto sunt maiores. Vincetoxicum etiam, quod ad hanc antido-
 tum requiritur, vbiq; circa colles & syluas reperitur : pharmaco-
 polæ, & tonsiores vbiq; habent, & schwalmenwurtz vocant.
 quamobrem non mitto. Angelicam syluestrem satiuæ similem,
 circa riuos & aquas inuenies. Germanicum nomen Bücholter/
 audiuisse aut legisse me non memini: neque caulis tanquam disse-
 sti memor sum. radix liquorem luteum remittit, odoratam, a-
 crem. Pro ea si hortensem angelicam duplicaueris, nihil errabis,
 Sudorificis medicamentis sanè plurimum tribuo, si nihil impediatur
 & tempestiuè fiant. Habes in Euonymo meo descriptionem aquæ
 vitæ cuiusdam, qua Io. Leo von Riehen vsus est in peste Solodo-
 ri felicissimè: cuius descriptionem & vsum prolixè istic leges in-
 ter alias aquas vitæ. facilè autem inuenies, cum Solodori mentio
 fiat, in titulo. Item in eiusdem Euonymi nostri capite De decoctis,
 chelidonij ex aceto decoctionem, & similes quasdam, plurimum
 in curanda lue pestilenti per sudorem, valere inuenies. Exhibenda
 autem huiusmodi sudorifica, puto, plerisq; à principio, præsertim
 quibus sanguis non detrahitur, ita vt per horam post in lecto col-
 locentur, aluo tamen prius soluta balano, & sudent. Quòd si vena
 etiam secanda videbitur, antidotus tamen primò statim danda vi-
 detur, siue sudorifica, vt plurimum, siue non sudorifica : tum paulo
 post secanda vena, & danda paulo post quæ corroborent, siue me-
 dicamenta tantum, siue alimenta debilioribus : & horis quatuor
 elapsis, sudorificum iterum dandum, atq; tum demum sudandum,
 non autem ante phlebotomiam. At si copiosa sanguinis detractio
 fiat, vt in sanguine abundantibus, sudorifico omisso, antidotus
 aliqua sine sudore, tum ante tum post venæ sectionem, tribus aut
 quatuor horis interpositis, dari poterit. Cacochymi etiam, præ-
 sertim phlegmatici & debiliores, omissa sectione venæ, principio
 purgari poterunt antidoto simul & purgatorio medicamento mi-
 xtis : deinde cibo corroborante accepto, & breui tempore inter-
 posito, antidoto data, sudare. Hæc nobis ferè deliberantibus visa
 sunt, certam verò experientiam nullam dum habemus. Calida illa
 cum aqua vitæ remedia, non puto nocere, cum non vltra 3. s. fe-
 ré detur. semel autem dari sufficit ad sudorem plerunque. postea
 verò alia antidoti dentur, theriaca præsertim, cum aqua conue-
 nienti, vel aceto, vel etiam paucis (septem vel nouem) vitrioli
 guttis, quæ etiam à principio ad sudorem mouendum misceri po-
 terunt, in præseruatione enim minus accipitur. Si caliditas nimia
 videbitur,

angelica
sturz

videbitur, mel rosaceum vel saccharum candi addatur: vel aqua refrigerans, vt endiuia, borraginis. Sudorificum, si videbitur, huiusmodi fuerit:

℞. Theriacæ duorum, trium vel quatuor annorum, ʒ. i. Eleſtuarij de ouo, ʒ. f. olei vitrioli guttas viij. aceti fortissimi, aquæ borrag. ana ʒ. j. Misce, fiat potus: qui detur tepidus, aut frigidus, pro arbitrio medici. Vel sic:

℞. Antidori Saxonica ʒ. j. boli armenia præpa. ʒ. f. vini (vel aceti) & aquæ endiuia ana ʒ. j. Misce. Vel,

℞. Philonij, ʒ. f. mastiches, angelicæ, tormentilla, euphorbij, (in calidioribus, & iunioribus loco euphorbij, camphoram posueris) ana ʒ. f. Misce cum aquæ melissæ ʒ. j. s. aceti ʒ. f. fiat potus. Rondelletij librum de febribus non habeo, nec puto excusum esse. D. Vuolphius habet, qui aliquid fortè ex eo ad te scribit. In schedis meis hoc tantum inuenio, D. Rondeletium in peste dare theriacam recentem (ne magis commoueantur humores) cum bolo Bardanae & fraxini aquas ritè destillatas, in præseruatione non improbo: adderem autem illis acetum destillatum: sed omnia in vitreis vasis. Sudorifica, quibus Augustani & Argentineses vtuntur, iam nescio quæ sint, nec libros in promptu habeo. Aurum potabile quidam extollunt tum contra pestem, tum contra alia multa: cuius si bonam aliquam descriptionem habes, cui confidas, mitte. forsitan enim ego fieri curabo. His Vale in Domino cum tuis omnibus, qui vos omnes sua bonitate conseruet. Ad nos quidem quodocumq; veneris, gratissimus hospes eris, & semper (si vixero) domi me inuenies toto hoc autumno instante, & postea hys me. Iterum Vale, & saluta parentes. Tiguri 1564. Augusti die 23.

CONRADVS GESNERVS FELICI

Plattero medico.

Mitto libellum de communi sententia nostra his diebus a nobis (Cellario, Vuolphio & me) editum iussu magistratus. Super quo iudicium tuum candidè vt feras peto, & tuas quoq; obseruationes (quas cupidissimè expecto) mittas. Venam secuimus inip graude, peste correpte, vicinè parui ad hebdomadas quinq;. & cum in inguine tumor paruus appareret, ad malleolū missus est sanguis, satis copiosus. erat. n. bene habita boniq; coloris. Malū ex cōtagio in ea ortū. Cogirabamus autē scētū iam propè perfectū esse, & parum etiam, si ante tempus pareret, periculi futurum. itaq;

etiam medicamentum dedimus, aquæ theriacalis aliquid cum aceto destillato & bolo præparato, quo sumpto modicè sudauit. His factis, tertio die (puto) peperit viuum infantem & satis perfectum: sed cum à principio morbi semper æstus internus, capitis dolor, aliæq; symptomata auerentur, quarto die extincta est. Puto equidem sanguinis copiam maiorem quàm oportuerit ei detractam fuisse, ego venæ sectioni non interfui. Hic quero iudicium tuum, doctissime Plattere, vt candidè feras, tum aliàs, tum an grauidis intra mensem ferè parituris, detrahendum sanguinem peste correptis consulas, si iuuenes & sanguinæ sint, item si malum ex contagio sit, an venæ sectione abstinendum tum existimes, vt eruditos quosdam sentire video. Eryngium si viret, cura vt vnâ aut duas plantas virentes accipiam, vt depingere & plantare possim, cum radicibus integris effosis. Aurigæ alicui committere poteris: cui satis faciam. Fructus & semina seorsim etiam in charta mitti poterunt: & flos vel nunc, vel suo tempore. Saluta parentes & amicos. Vale. Tiguri 1564. Nouemb. 6.

CONRADVS GESNERVS FELICI

Plattero medico.

NVper ad te scripsi, doctissime Plattere, & vt neptis mea tibi curæ esset, rogavi: quæ quomodo se habeat, sollicitè vt vel vno verbo significes, quod dudum expectabam, oro. Fefellit me fortè auriga, cui literas ad te tradidi, aiebat enim se statim discessurum, sed vidi eum post aliquot dies, nescio an famulum aut alium pro se miserit. Mirro libellum nostrum de peste ex secunda conditione, in quo nihil ferè mutauimus, sed adiecimus quædam, de phlebotomia præsertim: de quibus iam rursus iudicij tui candorem experimus. Acetum destillatum grauidæ nos exhibuisse miraris, cum nihil efficacius foetum pellat, nos certè hanc eius vim ignoramus, & discere à te cupimus, experimentis ne tuis aut scriptoris alicuius testimonio doctus, aceto foetum pelli existimes. Ego apud medicos veteres, Græcos, Arabes, Latinos, nihil tale legisse memini. Destillatum etiam acetum nihilo tenuius aut saltem vehementius quàm non destillatum fieri videtur, si odoratum & gustatum consulas, ante & post destillationem, vt sæpissimè obseruasti: Præterea sedum & astringentia quædam, aceto nostro contra pestem destillando, addere solemus. Herbas siccas tuas mitte cum vecturæ commoditas erit. Pro seminibus tritici tam secundi,

vt ex

vt ex vno grano filiquæ (spicas puto voluisti dicere) triginta pro-
ueniant, maximas tibi gratias ago. Seram si vixero, vere proxi-
mo. Saluta meo nomine D. Zuingerum: ad quem his diebus scri-
psi, ab eoy roga, an Christophori Orosij Annotationes in Aegi-
netam & eius interpretes viderit: ac vbi sint impressæ, desidero e-
nim eas. In Aëtium quidem annotata eiusdem Robertus Vuinter
olim procudit. Vale. Tiguri 1564. Decembris die 20.

CONRADVS GESNERVS FELICI

Plattero medico.

Remisit apud nos Dei gratia pestis: vt apud vos quoq; vt au-
dio, & gratulor vobis. Det nobis Deus ne suam iram pecca-
tis nostris breui iterum prouocemus. Commendo tibi neptem
meam, quæ apud CL. V. D. Cælium ancillatur, vt valerudinis eius,
cum opus erit, rationem habeas. Scripsit ad me postremò D. Cæ-
lius, neptem meam molestis quibusdam circa nasum intus forisq;
pustulis laborare: & vt ad eam rem aliquid remedij, si quod no-
rim, mittam, monuit. Sed cum tu præsens videre possis, & consu-
lere melius, rogo vt hac in re ei opem feras, ne fortè tedium sui aut
abominationem familiaribus & intuentibus pariat. Misistèm vn-
guentum citrinum dictum: sed quod hic habet alter pharmacopo-
la, nimis siccum & durum verusq; mihi videtur. Quid si aliquid
sulfuris, thuris, tartari, iridis, & cochlearum vstarum in linteolo
ebulliat in oleo, cum pauco aceto, ad aceti consumptionem. & eo
deinde puella sub noctem præsertim, se inungat: aut cum linteo-
lo eriam perfricet? Crassos humores esse puto: tenuiter enim
cum parentibus vixit, & cibis crassis assueta est. Proinde si opus
tibi videbitur, purgatione vtatur, nunc, aut potius initio veris: de-
inde suffitus aliquis cum thure aliisue pro tuo consilio fiat. A frigo-
re eraquea humiditate caueat. Mater ait sub mensium tempus præ-
cipuè hoc in ea vitium animaduersum. Sumptum quem feceris,
ego restitua. Hac de re me scripsisse ad te diligenter, rogo vt cla-
rissimo D. Cælio indices, eumq; cum tota familia ex me salutes a-
mantissimè. Antimonio præparato an hactenus vnquam sis vsus,
& quo successu, scribe per ocium, & tuum de eo iudicium. quod si
feceris, à me vicissim audies de eodem non indigna co-
gnitu. Nunc festino. Vale in Domino. Tiguri
1565. Ianuarij die 28.

EPIST. CONRADI GESNERI
CONRADVS GESNERVS FELICI

Plattero medico.

ACcepi herbas siccas tuas mi D. Plattere, gratias ago. vtar illis quàm possum primùm, & remittam vt peris. Nepos meus ex sorore qui attulit, ait te habere etiam alias Lugduno missas, & eas quoq; mihi offerre. Pro qua tam candida in me voluntate tua, plurimùm tibi debeo. Si raræ sunt, (posses autem mihi aliquot earum rariores nominare,) & satis integræ, vt pictori vsui esse possint, gratum facies, si miseris. Habeo quidem & ego multas aridas, & à D. Bauhino collectas omnes: sed grata est mihi optio inter duas aut plures eiusdem generis, cum in vna ferè inueniatur, quod alteri deest. Perieram à te ad nascentem in renibus meis calculum auxiliij vel consilij aliquid: tu verò hactenus me deseris. agnosco occupationes tuas, & ignosco, modò ne diutius differas, si me amas. Therimarum Badensium nostrarū potus mihi aliquoties iam profuit quod ad reliquam valetudinem: aduersus calculi initia an prodesse queat, ferè dubito. Vale cum parentibus & familia. Tiguri 1565. Maij die 5.

CONRADVS GESNERVS FELICI

Plattero medico.

ACcepi tuum consilium, doctissime Plattere, quod mihi non displicet: à scorpionum quidem cinere, vel propter ipsum nomen abhorreo: Cicadarum aut Asellorum cinis substitui poterit: omnis enim ferè cinis in hoc malo utilis est: cum innumera vsta contra id prædicentur. Pero autem vt reliqua etiam, sicut polliceris, addas breui. Pro-genista tua etiam gratias habeo, essi metuo ne duret: tenerior est, cacumine iam nutat. Maluisssem ad ver seruasses, vt confirmatior fuisset. Pro Eryngio etiam gratias ago: doleo tamen iam destoruisse. poterit aliquando flos seorsim mitti. Millefolium mittis, non aliud quàm hic passim crescit. Aliud omnino genus est, quod apud vos nascitur, non alio in loco, quàm extra portam illam, quæ proxima est D. Hugualdi domui, Steinenthor: appellant, puto: cum exiueris ad torrentem, locis arenosis quære: facile se offeret. Odor ei tanacetij: hoc valde cuperem ad me mitti: hoc est, duas aut tres plantas cum radice & flore integras, vt plantare & pingere posses. Ibidem in proximo inuenitur & Eryngium. Da mihi quæso horulam vnam, & desiderio meo satis factu. Mitte & Calsiæ lignæ falsæ seu vulgaris specimen: aliquod.

aliquod. nam nostri pharmacopolæ non habent. Aristolochiam longam cum fructu, (aut hunc saltem seorsim,) valde desidero. Si Basileæ non inuenitur, ex Alfatia, vbi nasci audio, vel vndecunque mihi accersere quæso: nam nostra fructum non fert. Vale.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Hospiniano, theologo, & philosophiæ rationalis in in-
clyta Basiliensium Academia professori eximio.

Nimiū verò tu vir officiosus es, mi Hospiniane, inq̄ gratijs agēdis nimius, nimis accuratus, καὶ ἀκριβέστερος τῷ δέοντος, atqui in amicitia eadem est ratio, quæ πρὸ τῆς δόξης: τὰ γὰρ ἀπλοῦστερα καὶ λιγύτερα, ὄντως ὄντερα. Βραβεία δὲ καὶ δυσπραγίτερα τὰ πολύτερα, ὡς ἐπὶ ἀπέρ, τὰ ποικιλωτέρα, τὰ μετὰ τὰ ποικίλων ἀρτυμάτων καὶ ἰδιωματων ἰσχυρασμένα. Sed ne ego quoq̄ qui te tūc ποικιλοῦμαι καὶ tūc ἄρα σκωπασίας reum facio, in idem ποικιλωτέρον te reprehendendo vitium incidam, desino. Tuus sum optime Hospiniane quantuscunq̄ sum. postulat hoc virtus & doctrina tua: religionis vinculum, patria, & quæ admodum adolescentibus nobis intercessit familiaritas. Nihil hæctenus amicitia nostra dignū tibi præstiti: in posterum tamen si occasio tulerit, perpetuò me tui amantissimum tibi declarabo. quod vicissim à te quoq̄ expecto. Non sinunt me plura pisces mei. quamobrem ignosces. Audio piscem quendam apud vos vocari, ein Semperin (siue Lemperin) grōßer dann ein Nüneug. de eo nomine obsecro à piscatore aliquo mihi inquire: & eadem opera, omnium qui in Rheno capiuntur piscium nomina, mihi configna, vocato ad te vel conuento piscatore aliquo sene & perito: ita vt minimorum quoq̄ & vilissimorum nomina non prætereas: & si quæ fortè meminerit in alijs regionibus aliter efferri, id quoque addas. Paruo labore hoc perfeceris, mihi verò gratissimo, præsertim si maturius fiat. Vale. Tiguri. 8. die Octob. anno 57.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Hospiniano Organi Aristot. professori.

PRO tuo pisciū Rheni, doctissime Hospiniane, catalogo, quē et maturè accepi, & nihil planè in illo aut diligētia tua desidero, maximas humanitati tuæ ago gratias: & ignosci cupio quòd id iā pridem non fecerim. aded enim negotiorum multitudinem plerumque obruo, vt vix egomet mei meminerim. Epistolā illam tuam ligaueram cum libello quodam meo argumenti de piscibus. vnde factum est, vt respondere oblitus sim. Medicamentū illud tuum ἀρκυδιόωρον, quoniā quid misceatur et quomodo præparetur ignoro:

multum autem horum vtrumque refert, iudicium meum interponere non possum, id quod faciam libenter simul ac diligenter, si apparatus eius descripseris. Videor sane & ipse mihi iam circa resnes grauior, & calculi generationem metuo: à quo si tua illa *προσφυσική* me tueri posset, multum tibi deberem. quanquam & aliud quoddam habeo, magnæ experientiæ ad eam rem medicamentum. sed præstat aliquando mutare. *προς Ἰππὶ τῶν αὐτῶν φαρμάκων εἶδη συνίσταται ἄλλοις ἀεὶ πάρα καὶ ἀποιδῶται τὰ σήματα ἡμῶν: ἰνὸς δὲ καὶ ἄγαρ πάρα, (σφοδρῶτερον ὄντων) ἰκάντερον δὲ τῆ μεταβολῆ καὶ παρακλίσει τῶν φαρμάκων διορθώμεν.* Vale. Tiguri. Martij die 5. anno 58. Festinabam; cum *αὐθιγὰ* multæ aliæ epistolæ mihi essent exarandæ.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Hospiniano Organi Aristot. professori.

QUOD rarius ad te scribo, mi D. Hospiniane, condonabis negocijs meis: præsertim cum nihil ferè operæ precium habeam, quod scribere possim: & mallet (siue tu hoc mihi credis, siue non credis) re ipsa meum erga te amorem, quam multis verbis aut literis ostendere. Occupatissimus sum in lubricationibus quibusdã medicis, ita vt ferè aliud non cogitem: nec soleo scribere officij tantum gratia, præsertim ad amicos veteres, inter quos te præcipuum numero. Literas ad me tuas Frisio nostro legi: & vt aliquando ad te scriberet, hortatus sum. Scheccij Analytica, quæ breui in lucem prodire vehementer opto, si apud vos cudantur, bene est. sin. minus, de rebus omnibus maturè me certiore facito: vt ad typographos mihi notos in Gallia, præsertim Lugduni scribã. Hanc meam voluntatem rogo vt D. Scheccio significes: meq; excuses. hinc enim ad ipsum literas dare difficillimum est. Absui nuper aliquandiu in balneis quibusdã Rhætorum, in summa Valle tellina, valetudinis meæ causâ. meq; absente Iustus Velsius huc venit: sed ad publicum colloquium (vt audio) admissus non est, nec eorum quæ voluit perfecit quicquam. Vale felicissimè: & de meo erga te animo dubitare (quod mihi permolestum est) desine. nullam enim hætenus causam reperi, quò minus te amare sicuti ceppi, propter doctrinam tuam, virtutes, & beneficia in me collata, pergere debeam. Tiguri. Augusti die 24. anno 61.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Hospiniano Organi Aristot. professori.

SI ita essemus affecti, doctissime Hospiniane, vt hominum vulgus ferè, ex diuturno silentio periculum forsã amicitij nostræ oboriretur,

oboriretur, & alter de altero suspicari quippiam posset. nunc vero cum philosophia, nō solum ἢ κατ' ἀνθρώπων λογικῇ, sed multò magis ἢ πνευματικῇ, ἢ κατὰ τὸν ἡμίτηρον ἕξισθρ ἀληθῶς βίαι καὶ θαυμασῇ, minimè vulgari amicitia copula nos coniunxerit, nihil tale nobis metuendum arbitror. Ego certè ita te amo, & ob oculos mentis fero, ac si præsente subinde conspicerē, & colloquia indies conferrē: cuperemq; literis subinde tecum agere varijs de rebus, tum officij tū discendi aliquid ab illa qua excellis doctrinæ causa. Sed ea fortuna mea est, vt perpetuis occupationibus districtus viuum, vt aliàs etiam ad te scripsi. Quamobrem ignosces, & nihilominus amantissimum me tui esse persuasum redamare perges. Iuuenis ille pius & eruditus abs te commendatus, domi meæ nugas quasdam peregrinas & picturas vidit: si ocium & valetudo vxoris permisissent, alia etiam in ipsum officia lubens contulisset. D. Scheccij libros doleo nondum prodire. Motus hi Galliarum plurimum bonis literis ac libris edendis incommodant. Vale feliciter. Tiguri. 1562. Octobris die 13.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

*Hospiniano Organi Aristot.
professori.*

VLtima tuar, vir doctissime, incunte hyeme superiore mihi reddita sunt: in quibus, vt cæteris tuis omnibus, tuar in me benevolentia & amoris, luculentissima perspicio argumenta. Nuper etiam Frisus noster misit ad me folium excusum, quo continentur nomina iuuenum apud te promotorum ob sita diligentia & eruditionis profectū: inter quos filij tui Iohannis nomen principe loco positum, magna cum lætitia legi: & precor Deum Opt. Max. vt is sicuti hæctenus à pueritia ad hanc vsque ætatem filium parentibus obsequentem, diligentem, bonum & pium se præstitit, ita deinceps pergat perpetuo ad longam vsque senectutem, suis virtutibus & doctrina vos ornare atq; exhilarare. Quod si fecerit, vt hominum benevolentiam sibi conciliabit, ita apud Deum gratiam singularem inueniet. Ego si vnquam vlla in re tibi ac filijs tuis gratificari poterō, faciam quod hominem tui amantissimum & veluti fratrem germanum facere decet. Interea raris & breuibus epistolijs nostris ignosce. Frisus ædificando, ego lucubrando & alijs negotijs nimium ferè mundanis, subinde occupamur: feliciores vos quos meliora & cælestia occupant. Ludus Dialecticus meus interciderat mihi: sed neque dignus erat inter meas lucu-

brationes numerare tantillus. Si tantum ocij daretur tibi ac filio, vt omnia vocabula ad suas decem prædicamentorum aliasq; clas-
ses referrentur, felicius quàm, (si rectè nomino) Foxus ille An-
glus fecit, cuius librum & tabulam Oporinus impressit, vtilis a-
dolescentibus is labor foret: & ludus aliquis similis, sed maiore
per vos ingenio excogitandus, iucundè accederet. Inspiciendæ
forent Græcorum scripta, Simplicij præsertim in Categorias &
alia, quæ mihi voluere non vacat. Hic alius eruditior & commo-
dior Ludus institui posset, vocabulis omnibus in suas artes & sci-
entias digestsis, vt ego aliqua ex parte feci in secundo Bibliothe-
cæ nostræ Tomo, &c. Aliud quod scribam in præsentia ferè nec
habeo, nec vacat. Vale candidissime amicorum, cum tota familia.
Tiguri 15 63. Aprilis die 8.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Hospiniano Organi Aristot.

professori.

Literæ tuæ priores abs te datæ sunt, charissime frater, die Qua-
simodo huius anni. ad quas hæctenus non rescripsi, quoniam
in eis nihil continetur, quod responsum postulet. Causas tantùm
reddis, cur filium tuum Io. in album magistrorum legi volueris,
quas ego non improbo. His quædam de fortuna tua addis, & a-
lia de Ecclesiæ statu: hæc D. Bullingero legi. is quidem responde-
bat se intra annum ante id tempus spacium nihil abs te literarum
accepisse. Postremò de Ludo Categoriarum nostro, & quàm dif-
ficile & propè ἀδύνατον foret vocabulis omnibus, suos in decem
prædicamentis ordines & quasi nidos assignare: id quod, si alius
quisquam, tu omnium optimè præstares. Vlcimas filij tui his
diebus me absente in Rappersuilla rediderunt. vxori meæ. po-
stea verò ad me domum non venerunt, quanquam semel ad cœ-
nam, postea ad prandiū inuitati. an adhuc sint venturi. nescio. Ego
domi occupatissimus hæreo. in vico transiens fortuito in eos in-
cidi, sed paucis sum allocutus. propter festinationem, & quia ex-
pectabam eos eo die ad cœnam vt promiserant. sed postea ad cœ-
nam publicam sunt vocati: quare ijs succensere nō potui. ego qui-
dem propter negotium subito, tempore cœnæ, mihi exoritur, ad-
esse non potui. Petis vt crebrius scribam: quod ego etiam opta-
rim, multas ob causas: sed fieri id posse spem nullam video. quid
facias, medico, professori, elucubratori multorum & magnorum
voluminum, parifamiliâs, &c. Pro organo à te illustrato, quod
dono

dono misisti, maximas tibi gratias ago, etiam memor beneficii per occasionem. Dolet mihi filijs tuis nihil me hic beneficii potuisse exhibere. Vale & amare me perge. Quantumcumque mihi ocià ceteris negotijs datur, ad lucubrationem historiarum stirpium ferè conuerto. Tiguri. 1563. Octob. die 3.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

*Hospiniano Organi Aristot.
professori.*

Vltimas tuas, charissime D. Hospiniane & fratris instar dilecte, nono Septemb. datas accepi, omnis officij, benevolentiae & pietatis erga me plenas: pro quibus tibi gratias ago. Eas quas simul ad fratrem mittebas, statim curavi. Ego, ut hactenus, in laboribus meis pergo. Tu verò me multò felicior es: qui & sacra studia secteris, & in philosophicis fortè grauiora. Ego subinde humi reperere mihi videor circa res terrenas & caducas: quarum cognitionem philosophi quidam ad claudicationem Vulcani & excitatum super ea risum deorum referunt. Interea tamen crebris sed momentaneis diuerticulis, summum illius caeli naturae conditorem, motorem & rectorem animus suspirat: neque desperat, se eius breui propter vnigenitum eius Christum, competentem fore. Exercet nos nunc etiam pestis, ut anno superiore, sed multò clementius: & foeminis ferè iniquior videtur. Suas sibi nuper ereptas Gualtherus, Simlerus & Zuinglius lugèt. Deus Opt. Max. te cum tuis, coniunge & filio seruet perpetuo. Vale. Tiguri. 1565. Nouemb. die 27.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

*Frisio Tigurino iuniori, Ba-
sileae agenti.*

Miror tandiu nihil literarum abs te, ad nos missum, charissime Ioannes. percipio equidè frequenter de valetudine tua certior fieri, & tui in bonis literis progressus specimen ali quod subinde videre. Habes Basileae cum alios viros eruditos & professores doctissimos: tum M. Io. Hospinianum, virum in Dialecticis & omni philosophia incomparabilem: quem ego te quam officiosissime colere, atque eius lectiones omni diligentia & summo studio audire ac ruminare consulo. Sic enim comparabis tibi iudicij atque eloquentiae instrumentum; quo & sacra & popularia argumenta doctè discretè tractare poteris quaelibet. est enim ea

Dialecticæ methodi vis, in qua docenda profectò D. Hospinianus excellit, vt nisi omnibus alijs, quibus de verba facienda sunt, rebus & argumentis adhibeatur, incondita prorsus insulsaq; rideantur. Ne igitur sine sale ad nos redeas, eloquentiæ præceptis, Dialecticæ simul Rhetoricæq; ex D. Hospiniani consilio & sententia ingenium imbuito. Quòd si interdum specimen aliquod Meditationum tuarum, exercitiorum, studiorum ad me miseris: gratulabor studijs tuis, & ea (quantum in me fuerit) promouebo: ac si quando ad nos redieris, quod breui (Deo fauente) futurum spero, aliqua librorum suppellectile te donabo, & in rebus omnibus quantum te amem declarabo. Tu modò, vt in pietate & doctrina semper proficias, operam da, vt optimos parentes virtutibus tuis exhilares, & patriæ utilitati atque ornamento sis. In Dialecticis quidem quæ plus subtilitatis quàm utilitatis habent, nollem te diutius immorari. sed ea in re D. Hospinianus consulat. Rhetorica vniuersaliora & vndiquaque vtilia videntur. Styli quoq; rationem habebis, vt eum quàm purissimum tibi compares. Sed hæc & alia optimus & doctissimus parens tuus, melius tibi præscripserit. Ego quoniam te veluti communem filium diligo, non potui non aliquid consilij ad te scribere. Commenda me D. Hospiniano, ad quem proximè scripsi. Debeo ei aliquid pecuniæ, sexdecim batzios cum dimidio: quam summam Iacobo Meiero vicino meo mandauit vt ipsi traderet. Quinam libri noui nuper Basileæ procusi sint cum ab alijs, tum à D. Oporino, fac vt cognoscam. Vale. Tiguri 9. die Nouemb. Anno 1558.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero Medico & Philosopho Basiliensi excellentissimo.

GRatum est, quòd de ijs, quæ tibi in horto orta sunt scribis, mihi ex ijs quæ attulisti pauca prouenerunt, quæ verò in hortis meis alam, ex Bauhino, qui has tibi reddit, cognoscere poteris. Fatigant me nunc duo præla: quibus icones aquatilium & quadripedum nostræ cuduntur: vt vix digito caput scalpere liceat. Quod *ἀνάμνησις* quandam in libros Galeni meditaris: rem vt difficillimam, ita ingenio tuo dignam, & medicinæ studiosis omnibus proculdubio gratam & vtilem futuram facis. Ego qui semper in minoribus & particularibus versor, nihil aut parum ad sublimiora ista & vniuersalia consilij afferre possum, quicquid ramen possum, ijs

sum, in tuam gratiam fecero omnia. Optimi & doctissimi viri D. Bechij, vicem vehementer doleo. Deus Opt. Max. illum nobis restituat & conseruet. Utinam ego is essem: qui re aut consilio eum iuuare possem. Scirrhum hepatis semel aut iterum in iuuenibus curauit, communibus ferè medicamentis & balneis, propter coniunctum hydropis initium. Solent aliqui in ictero & cachexia feliciter vti rustico hoc medicamento.

℞. Carbonum de quercu cribratorum, limaturæ chalybis aut ferri cribratæ ana. ʒ. j. Misce. hæc iniiciunt in libras ij. aut iij. vini albi: & in eodem extingunt candentis chalybis portionem quatuor aut quinque vnciarum: idè; ter statim repetunt, tertio extinctum chalybem in vino relinquunt: de hoc colato quotidie manè ad ij. aut iij. tepidas vncias hibernunt: item vesperi, tribus ferè ante cenam horis. Iussi aliquando cinnamomum addi & omnia in linæolo serico ligari: aliquando etiam iridem, ebur vstum aut spondium finum. Quinto quoque die sudandum est in labro obrecto, vel Laconico paruo, ita vt corpus non tangatur aqua: & in balneo ponatur lebes, in cuius aqua ebulliant auenæ & fabæ culmi cum cineris quinq; manipulis. Continuatur hoc ad duos aut tres menses. Interim alia etiam secundum rationem fieri possunt. Nemini nocuisse hoc medicamentum scio, plurimis profuisse. De puluere ex limatura chalybis, si placet, lege Syluium, in librum tertium Mesuæ de antidotis, pag. 272. Salutabis ipsum D. Bechium meo nomine quàm amantissimè, & omnia mea officia ei deferes. Memor ero ipsius in orationibus meis erga Dominum. Salutatiam D. Oporinum, & dices me accepisse quæ misit ad me, gratias habere, breui me rescripturum ac missurum: quæ petunt ipse & Massarius. Tiguri raptim 1560. Iunii septimo. D. Lycosthenem saluum cupio.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

Literas tuas accepi, nescio iam an à Guldebecco, non simul autem, sed alio tempore, ambrā Orientalem, à Gobelio missam. Ea nihil aliud quàm succinum est, mollius & albius nostro: & in hoc etiam diuersum, quod cum album sit, pelluceat: quale Germanica ora nullum ferunt. Eiusdem ex Antuerpia & Augusta portunculæ nuper ab amicis accepi: quibus res incognita est, an ymū album vocant. Amatus Lusitanus Laccam facit, homo temerarius & indoctus. Guldebeccus noster non ambram istam, sed Indicam

quādam frugem (triticum puto) à Doctore Felice Plattero datam, mihi attulit, quod mihi imposuit. Quod ad pisces meos, rogo vt D. D. Huobero me commendes, vt Senatui eos offerre maturet, scripti etiam ad D. Henricum Petri, & ne in mora sit rogavi. Bullingeri filius (hæmoptoicus) meliusculè habet, Dei gratia. Tuum à Frizimelega remedium libèter cognoui, & gratias habeo. Inter alia semel ei edendum dedimus malum assum excavatum, & drachma thuris repletum: quod equidem profuisse auguror: eodem aliàs in vitis pulmonis & dyspnœa feliciter vsus sum, Alexij Pedemontani verbis motus. Guldebecci vxor moribūda deplorato asthma, inde reuixit. Nautilium tuum somnium libentissimè vidi: & nihil certè multo tēpore eruditius, elegantius, suauiusq; legi, quam obrem plurimum tibi debeo. Sed Nautilum concham tuā videre velim aliquando: quem in pegmate aliquo ad me mittere posses, breui & bona fide remissurū. Heri cognatus tuus, vir optimus & mihi charissimus, M. Petrus Corrector honorificè ad sepulturam delatus est. Dominus nobis omnibus largiatur, vt feliciter moriamur. Cum diu dyspnœa & summa ventriculi cruditate laborasset, icterus superuenit, isq; malignior cū exanthematis toto corpore sparsis. Vale. Tiguri 1560. Decemb. die 7. Saluta parentes & D. Oporinum.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

PRO seminibus quæ dudum accepi, doctifs. Zuinggere, maximas tibi gratias habeo. Specimen propositionum tuarum in arte medica Pet. Vinmannus suis literis his diebus mihi plurimum cōmendauit: eius igitur aliquando copiā mihi vt facias, rogo. An Christophoriana vel barba de becco, est, quæ ab Hierony. Trago pingitur aut saltem describitur. duas enim herbas, si bene memini, Bocksbart nominat, & describit in eodē capite, vnā circa syluas nascitur, altera iuxta riuos & aquas, cui pimpinellæ vel cucumeris ferè odor est: vtrius harum coliculi edendo sunt. Est apud vos Bōwinus nomine medicus Flander, is inter Grataroli & Cælij domū habitat: cuius filius etiam medicinæ operam dat, ab eo petas meo nomine semina Camomillæ nobilis, & alterius herbæ similis, quæ in horto suo superiori æstate mihi demonstrauit. Pro ijs alia quædam non vulgaria ad eum libenter mittam, si petierit. Literas D. Vinmanno inscriptas, cura vt statim accipiat. Vale felix. Tiguri. Decemb. die 14. Parentibus honestissimis plurimum salutis meis verbis

verbis dicit. Ioan. Frisius noster ante vnum aut alterum annum accepit à me Vuillichij in Georgica annotationes, & D. Oporino misit: eas ad me redire cupio, aut exemplar aliud. Casiodori etiã varias ex Bibliotheca nostra, si nondum remisit, nec breui vsurus est, remittat, quoniam ego fidem meam interposui. Petro Mechliniensi dices desiderare me Ioan. Campenſis paraphrasin in Psalmos, si non inuenit Basilicę, accersat, quã primũ potest, impressa est Lugduni, Argentinę, Colonię, Auicennę opera Basileę quando impressa sint, & an eum indice, significa. Venetijs indicem copiosum excusum audio, seorsim ni fallor: & faceret sanẽ operę pretium etiam Basiliensis Typographus, si indicẽ tanto volumini adderet, iam enim indice id carere quidam mihi conquesti sunt. Mitto ad te literas binas, quas & quales his diebus ex Italia accipi. Vale iterum optime mi Theodore, & me ama: ac vicissim quę cuiusq; tuo nomine perficere potero, iniungas omnia.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

Reditę mihi sunt doctissimę lucubrationes tuę, suavissime D. Zuinggere, pro quibus maximas liberalitati tuę gratias habeo, donec vicissim occasio aliqua de te bene merẽdi offeratur. Commodum autem hoc tempore illos accepi, quo nostra in Frobenianam Galeni operum editionẽ Prolegomena adorno: in quibus est etiam Catalogus interpretum, & omnium qui quoquo modo Galenicam doctrinam illustrarunt, quorum numero tu quoq; accessisti non sine elogio nostro, vt mereris. Ex quo nuptias cum honestissima vidua te celebrasse accepimus, non vacauit ad te scribere: itaque nunc primũ illas tibi fœlices & fortunatas esse precor, καὶ πάλαι παύειν καὶ τοῖς μετέπειθερ, ἡ χάρις τοῦ σωτῆρος μόνου πάντων τῶν ἡμῶν. **N**ui nihil hic habemus. D. Castalio si tibi familiaris est, papilionem lapideum dices me cupere, vt ad me mitat: illum enim in thesauris meis lapideis me non inuenire. D. Henricum Petri etiam ex me salutato, si vacat, vt per hunc aurigam Calepinum meum cum Onomastico & Lexicis, ad me mittat: aut Petro Mechliniensi saltem tradat, indica. Mitto ad te oxymelitis elleborati nostri descriptionem, qua certẽ in singulos annos multis aureis carere nollem: rogo autem illam tibi vt serues, inter καμῖλια καὶ μυστήρια tua: ac vicissim si quid μυσηλάτων à præceptoribus aut amicis accepisti, κοινῶν ἢ μοι digneris: vt ad alia etiam, per

oxim:

pauca, sed potissima) tibi communicanda me excites, faueo enim virtutibus & doctrinæ in te eximijs: quas tu ita magis magisque excoles, vt arti nostræ perpetuum decus adferas. Oprarim sanè te ingenium quo excellis, ad præclaram & vtilem aliquam cõmentationem conferre, non verò ad ingeniosos quidem, minus verò vtilis libros, vt plurimi solent, condendos. Fr. Valleriolæ loci cõmunes totius medicinæ, Lugduni apud Gryphium nunc sub prelo sunt. Tu quid moliaris, & quæ apud vos cudatur noua, per ocium significa. Vale. Tiguri. Decembris die 16. D. Oporinum & amicos ceteros saluta.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

Quanquam nihil ferè argumenti suppetat, doctiss. Zuinggere, salutare tamen commodum rabellionem nactus, te volui. Responsum ad vltimam epistolam tuam, iam pridè tulisse te puto. Hæmoprylicus F. D. Bullingeri, Dei gratia, bene conualuit, sed prius etiam non satis firmæ valetudinis erat. & nunc adhuc, manè præsertim, ^{et vno die} aliquam sentit. Commendabimus ei fortè bibendas fontis ad bouem in Badis nostris aquas, qui alumini nonnihil habet, sulfuris nihil, ineunte vere. En tibi Electuarium Helidei ad ^{ad præsentem} quod nuper ab Augustano quoddam medico nactus sum: qui bona fide affirmat, hoc ipsissimū esse, quo tanto successu vtratur, illius electuarium: quod veluti secretissimum celare omnes soleat.

R. Hyofcyami (habetis ne Basileæ: Si curare potes seminis aliquã copiã, libram aut semis quæso facias: nostri pharmacopolæ desiderant, & ego: precium indicatum statim numerabitur) albi, sem. pap. albi, ana. ʒ. x. terræ sigillatæ, corallorum rub. ana. ʒ. v. Zaccari ros. q. s. antiquis. ff. electuarium: cuius dosis ʒ. s. mane & vesperi: præmissis vniuersalibus, &c. Hanc descriptionem cupio te tibi seruare, necq; cuiquam (nisi intimo alicui amico, & bono medico) cõmunicare. Habuimus nos Electuarium Helidei: ex Italia aduectum, & Bullingero dedimus: sed descriptionem ignorabamus. Vale. Tiguri. 30. Februarij. 1560.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico

Quod meas lucubrationes editas elogio tuo honestas, Zuinggere doctissime, modeste & amanter facis: quod ad reliqua etiam quæ inchoaui, perficienda hortaris, grauitè eritq; is mihi

is mihi quoque stimulus ad maturanda quedam, οἱ ἔρ' παρὰ τῶν κατ' ἄρ' κ' ἀρ' ἁδῶν ἴπαινοι, οἱοὶ ἐ τινος καρπῶν ἢ μισθοῖ τῶν ἀρχαίων ὀνότων νόμον τυχεύουσιν, καὶ ἐς τὸν μέλλοντα παραμυθίαι. Inter alia nominavi quedam, quorum exemplaria tantum Typographis ego dedi, ut ita forte emptores aliquos eis excitarem, ut Santis Ardoyni nostri libros: quibus præfationem de venenis à te præfixam, addideram: sed hæc & alia complura mihi delenda fuerunt, quod chartæ angustia non sufficeret, vides enim ab initio & exitu libelli omnia esse plena, &c. Fasciculum meum Rihelius Argentinae accepit, quamobrem diligentia tue gratias habeo. Saluta meis verbis M. Perrum Mechliniensem, & dicas me cupere ut meas rationes singularum ad me perscribat, si mûlq; mittat Donatû ab Alto mari de febribus: & à D. Petro Perma libellos quos mihi promisit, vnâ cû catalogis librorum ab ipso impressorum, petat, ut coniungat. Vale. Tiguri. Octobris die 21. Anno 1562.

CONRADVS GESNERVS THEODORO
Zuinggero medico.

Episcopi nostri obitus non paruo me dolore affecit. Sed ita placuit Domino, qui etiam charissimam matrem meam octogenariam hæc diebus mihi eripuit, Froschouerum etiam senioremi amissimus, pleuritide maligna quadam, quæ hic non paucos extinguit, intra tres aut quinq; dies ferè, spuo nullo ferè: cui quomodo et quibus potissimum remedijs sit occurrendû, valde dubitamus: non solum enim cruda, sed etiã pestilens & contagiosa est. Opium an per se sudorem moueat, non sum expertus, cum neq; tutum, nec verissimile sit. cum diaphoreticis autem id præstare, ratio & experientia testantur. Quæ de facultatibus olei pomorum rubeorû (quæ aliqui puto Amoris cognominant) ad me scripsisti, libentissimè cognoui, præferri quod ad stirpium historiam faciant. Cupio autem ut semina pauca mittas, & olei parandi rationem indices: & pluribus experimentis vim eius confirmes. Memini me pomum integrum aliquando edisse, nec quicquam inde affectum. Catalogus horti tui iucundissimus mihi fuit: & rogo ut Teucrij plantam ad me mittas per hunc nunciû cum sua radice, ita ut plantari possit, si potes carere: ut cum florebit curam mihi ad viuum depingi. Item Dauci cretici, Aræ angelicæ, Cantabricæ & Narbonensi Prouincia, Seseleos Peloponnesia. Hyacinthi veri, Tulipæ: singulas de singulis plantas, ita curatas, ut quàm tutissimè ad me perfer-

rantur. Bonus & fidelis hic nuncius est, vicinus et compater meus: rectè curabit omnia. In pegmatio ligneo cum pauca terra radices ponendæ erunt, ita vt herbæ emineant. Cytisi ramulum vnum tantum mitte viridem aut siccum, vt cum meo conferã. Ego vicissim mittam aliãs, si iusseris, Gladiolum Græcorum, Gladiolum Indicum, cuius pulcherrima sunt lilia, Crocum alpinum qui verè floret, Præoniam marem: Saniculam alpinam duplicem, quarum vna species est primulæ veris, altera verò Coryledoni puto cognata: primulam veris raram, quæ tota hyeme vsq; ad Pascha floret, &c. Festino, ignosce. Pro libello Peletarij de peste iam pridem puto me tibi gratias egisse. Nos hic noui nihil. Vale. Tiguri 1564. Aprilis die 7.

Mitto semina quædam quæ ad manum erant. Rusci recentia, nec dubito quin nascantur, sed tardè. Hundesbeer / genus periclymeni ex alpihus acinis nigris, medicam: chamæbatum Ge. Aemylj: sed verius est Rubus Idæus, alius quàm Hundesbeer: vulgò dictus. Oculi Christi semina D. Cælio misi: à quo petes, si voles, sed pauca admodum. D. Oporino pro donato mihi Cornacis medici libro, maximas ago gratias: & salute officiosè.

CONRADVS GESNERVS THEODORO
Zuinggero medico.

REdeunt ad vos Stanistai nostri: quos iam vicissim tibi commendo, festinant autem Lipsiam. Pro Seminibus & Plantis ad me missis, gratias ago: plantæ mox omnes diligenter, & spero prouenturas. Teucrium in primis gratum est, sed timeo ne hac ætate non floreat mihi fortè: & peto, vt si tibi floruerit, ramulum cum flore ad me mittas suo tempore. Tulipanis tuus, vt spero multiplicabitur, vt solent bulborum genera nouellis adnascensibus: vt possis aliquando participem me reddere ipsius plantæ: & seminis etiam probè maturi hoc anno. Antehac aliquoties semina ex Italia missa, frustra seui. Si quod capitulum, in quo semen sit, profert, eius iconem aliquam mihi fieri cura: (quod fieri poterit, vbi semine iam bene maturo capitulum totum antequam excidat, decerpes) ita vt seminum etiam situs in eo appareat. Sic enim soleo fructus ac semina plerisque picturis meis addere, vt in tanto stirpium numero singula facilius dignoscantur: & ipsæ picturæ descriptionum ferè loco esse possint. Seseli Peloponnesiacum tuum iam prius in horto habebam, abundat in saxis & collibus circa
Hadam

Badam nostram, ego oreofelini potius quàm *oreofelinæ* genus esse pu-
 to: Sed quod ad remedia parum interest. Daucum Creticum du-
 plicem (nisi tanta similitudo sit, vt me fallat) ad me misisti. Can-
 tabritia non inueni: & peto vt ramulum aut folium saltem, aliàs
 ad me mittas, non puto autem te sentire de Cantabrica Plinij,
 quam ego Gentianæ cognatam iudico. Mitto ad te Gladiolum
 vtrunque, Crocum Alpinum, Saniculam alpinam, primulam ve-
 ris quæ tota hyeme floret, si nix sinat, præoniam marem, & anto-
 ram: nam Toræ Valdensium plantula vnica mihi superest. Oci-
 moides Creticum, Hierusalem blumen / habes fortè: sin minus,
 autumno mittam, si vita dabitur, nunc in caulem erupit, & fortè
 periret. Cytisi tui plantam valde desidero, multum enim à meo
 differt, tuum veriore iudico; cum florebit, ramulum mitte. A quæ
 legia vulgò dicta an sit Pothos Theoph. considerabo, interim
 quod monuisti & locum Athenæi indicasti, gratias ago: etsi Athes-
 næum perlegi totum diligenter, & quicquid *περὶ τῆς τῆς αὐτῆς ἰσοπέρας*
 pertinet, diligenter notavi. Audio Dominum Henricum Petri ha-
 bere Athenæi exemplum Græcum auctum alicubi, & emendatum
 à D. Arlenio puto: quod si ad me mittere dignaretur ad breuissi-
 mum tempus, mox & bona fide ei remitterem, & meum quoque
 exemplar (si vellet) locis innumeris emendatum lubentissimè ei
 permitterem: Commendabis me igitur ornatissimo viro, & pluri-
 mam meis verbis salutem dices. Pleuritis pestifera apud nos ad-
 huc vagatur: de qua tuum iudicium ad D. Cellarium scriptum le-
 gi & probo. De eadem, si nondum vidisti, in consilijs Montani le-
 gere poteris, in duobus consilijs. Ego nuper sexto die vel septi-
 mo à principio morbi ancillæ cuidam pleuritide hac laboranti,
 dedi ʒ. iij. olei de semine lini, quas duobus haustibus breui inter-
 uallo ebibit: vnde & aluus (astricta prius) mota est octies: & mox
 melius habere cœpit. Heri etiam vicinæ mulieri die sexto propi-
 nauit ʒ. j. s. & similiter successit: sed cum sputum ei sifteretur, iussi
 eam postea sumere decoctionem quandam cum seminibus vrticæ,
 ocimi, radicum altheæ, &c. & lambere lochi sanum cum quarta par-
 te oxymelitis mei elleborati, quod ei valde profuit, vt nunc de
 salute eius optime sperem. Vale vir doctissime & charissime, &
 in posterum quæso ne præceptoris nomen mihi ascribas, ea enim
 tua est doctrina, vt docere ego te nihil ferè possim, nisi fortè pau-
 ca quædam *τῶν κατὰ φύσιν*, quæ infinita sunt, & quæ docti etiam à
 plebeijs & rusticis quotidie discunt. Vale. Tiguri. 1564. A-
 prilis die 24. Addidi herbam Doriam dictam (maximam)

illarum quas mitto) panaces chironium quibusdam. Arthriticæ hybernae plantæ sunt duæ: cum minore coniungitur fragaria, que fructum album fert. Saniculæ alpinæ, quæ arthriticæ cognata est, vnicam plantam habeo, à qua propaginem vnã abscidi, plantato loco succiusculo, non nimis profundè, ne putrescat. amat enim in saxis montium nasci quibus pauca terra inspersa est. ego tamen in area plantauì. Croci alpini plantam vnicã habeo, quam mitto, etc.

CONRADVS GESNERVS THEODORO
Zuinggero medico.

CAntabricam accepi cum flore, & gratiam ago. Sæpe eam in Ciugis montium inueni, Bitterwurtz, passim vocant: quod nomen si indicasses, herbam mitri non opus fuisset. Sæpe in hortis educare frustra conatus sum, cultum enim omnem aspernatur. Cantabricæ nomen ego etiã ei posui (siue ea ipsa sit, siue generis eiusdem potius) & Dalechampio medico Lugduni hanc meam sententiam aperui, is verò sua omnia Constantino, à quo fortè pharmacopola ille iuuenis Massilien. acceperit. Illum vnã cum Petro Pena iuvene doctissimo domi meæ per dies quatuor retinui, & mea omnia ostendi, multa etiam donauì. Cyrisus meus à tuo diuersus, quatuor ferè cubitorum arbuscula, odoratis & oblongis florum ceu spicis aut paniculis plus quàm millenis puto nunc mihi floret. Athenæum à D. Henrico Petri (quem saluto) expectabo sat citò, quando cunq; opportunum fuerit. Pro ijs quæ de oleo è malis amoris rubris ad me scripsisti, multum tibi debeo. Pestem apud sti oro, vt te & alios viros bonos ab hac luce in sui nominis gloriã conseruet. Amen. Audio D. Acronium confectam à se habere theriacam, qua feliciter vtatur, in huius mali curatione: felicius fortè quam alij stibio suo. Ego theriacæ Andromachi cum plulonio & paucis camphoræ granis, aut etiam euphorbij plus tribuerim, sequente sudore, &c. Mitto, quæ est ad manum, D. Eustathij Quercerani, de pestis curatione, ad me epistolam: quam cupio vel hoc nuncio, vel alitero primo quoq; ad me redire. Mitto D. Mundellæ, quam te legere cupio, & nunquid imprimendo pergat D. Episcopius, & quousq; impreserit, vno verbo indicare. Pro historia Achatis, maximas gratias ago. Ferulaginem tuam et Scammonæam diligenter à te seruari & viuere tibi opto, vt earum aliquando à te picturas, & fortè etiam semina accipiam. Vale in Domino, qui te

cum

cum tuis omnibus conseruet. Cuperem te his canicularibus diebus (relicto paulisper cœlo vestro) nos inuisere, & domo mea tanquam tua uti. Saluta D. Oporinum, & Gratarolum, cui propter occupationes perpetuas iamdiu scribere non potui. Item D. Episcopium, à quo remissum Auentini librum accepi. Tiguri 1564. Iulij 14.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

In hac tam præcipiti & funebri tempestate, qua Deo vos visitare placuit, ut is idem vos propitius respiciat, soletur & conseruet, propter Unigenitum suum, toto pectore oro: & te in primis, suavissime Theodore, donec & ea quæ præ manibus habes opera, & alia cum plura vitæ, literis & ecclesiæ utilia perficias. Mundellæ scribam, & schedam D. Nicolai Episcopij (quem saluto) ei transmittam. Scio ipsum per ægrè laturum, rem tandiu differri. Ego quo ad potero verbis, desiderium eius leniam: & benevolentiam tuam ad omnia officia ei paratam indicabo. Pro ijs, quæ destimeos præparati vsu, deq; D. D. Osualdi & Acronij remedijs in hac luc scripsisti, gratiam ago: sicuti etiã pro specimine Theatri tui, quod varietate argumenti & multiplici obseruationum diligentia, ac eruditione, non parum me oblectauit. Herba à te missa, *αδιντορ υλοϊς* *αδιντορ υλοϊς* miram vim habet in cienda vrina, aqua destillata præfertim: quæ si copiosius hauriatur, vel diabeten inducit. Folia quinque in poculum vini nuper imposuit mulier *εραγγηβουα*, & vino epoto melius habuit. Cani cum dedissem iusculum in quo manipulus eius decoctus erat, per sesquihoram postea copiosissimam vrinam reddidit, pluribus verò horis post etiam aluus bis copiosè mota est. Nomen vetus ignoro, balsaminæ alteri Fuchsj cognatam coniicio, cui imposita *ροϊνισα*. Rhodiam radicem, his diebus in hortulo meo effodi, & in tres partes diuisi radicem bene crassam: tum rursus plantaui, partem vnã, si desideras, per occasionem indica. Vale in Domino cum tuis omnibus. Tiguri 22. Iulij, anno 1564.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

Pestilentia iam aliquot septimanis in eodẽ statu apud nos perdurat, ita ut in septimanas, homines 60. aut 70. ferè tollantur.

Deus nostri misereatur. Vni & alteri oxymelitis mei elleborati permodicum dedi: & profuit. alijs ex alijs rutæ succo cum theriaca, aceto & aqua ardente, liquoris non ingrati cochlearia duo ad sudorem, alijs antidorus Saxonica nostra, quam D. Plaiterus ex me habet: Argentinx quidem nunc publice in pharmacopolijs recepta, propter euentem eius *in hac lue*, à me quoque primum ad illos missa, alijs purgatio leuis. Alijs nihil, siue ob morbi magnitudinem, siue quod sero consulere. Me quidem hæcenus vix duo aut tres mature consuluerunt. Ego me meaq; omnia Deo commisi, & lucubrando *in tñ tñ qv tñ isofiq* pergo. Tu vi valeas, quid agas, scire cupio. Miseram nuper libellos duos nostros de peste hic impressos ad Dominum Gratarolum, vt alterum tibi traderet: qui nescio quomodo intercidit. Sed nunc recuditur auctor idem libellus: quare iterum mittam tuis diebus, quem vbi acceperis, & iudicium tuum super eo ferre quam candidissimè, & epistolio huic pauca respondere, dignaberis. Dominus Oporinus Varias Casiodori ex Bibliotheca nostra iam annis aliquot habuit, me fideiussore. Bibliothecæ præfectus exemplar iam aliquoties à me repetijt: & ego nuper ad Dominum Oporinum, vt remitteret scripsi: qui cum ad reliqua epistolæ meæ responderit, de hoc nihil rescripsit, quare cupio cum à te admoneri, vt remittat: aliàs si denuo petat, facile iterum obtinebit: vt ego data si dei fati faciam, Vale. Tiguri 1564. Decemb. die 13.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuingero medico.

TRagicam illam historiam non prius audieram: & gratias ago. Deus publicas calamitates, quæ priuatas huiusmodi sepe sequuntur, auertat. D. Cellario communicabo epistolam tuam: *in dera* nostra Argentinx iam, ni fallor, impressa sunt. Pestis hic etiam remisit, Dei gratia. Solet enim ea (nisi Deus nos *in dera* punire velit) magnis tum frigoribus tum caloribus sedari, ceu septicum quoddam venenum, vnde & medicamenta hanc putredinem curantia, vel calidissima vel frigidissima esse debent, vel ex vtrisque permixta, vt omnis bona & *non dera*. Iam alij quidam *in dera* morbi, cephalæa præsertim contagiosa cum catarrho in plerisque, apud nos incipit: & plurimi adolescentes vtriusque sexus circa domum meam decumbunt hoc malo, ad tres

ferè aut quatuor septimanas, antequàm leuari incipiant. Obseruavi aliàs in hoc morbo, nullos ferè mori, licet nulla remedia adhibeantur, nisi epilepsia superueniente, vt ijs qui vinum bibunt: aut cathartics validioribus datis: vnde vires exoluuntur: quæ alioqui propter *àrriap* huic malo familiarem, nimis sunt fractæ. A casta tamen & lenientibus non est abstinendum. Dominum Oporinum saluto, à quo remissas Casiodori Varias accepi. De Brodæo eius, in Dioscoridem, quem habeo, ad eum scripseram proximè: sed nihil respondit. Ad te quoque scripsi, & interrogavi de Hallero quodam viro docto, (qui superiore autumno ad Dominum Oporinum venire debuerat) quem Dominus Laureus Cæsaris medicus mihi commendarat: sed cum tu nihil de eo respondeas, an literas meas acceperis, dubito. Vale. Tiguri 1564. Februarij die 15.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

Parricidam illum iam captum audiuius, breui (spero) etiam supplicium eius audituri. Literas tuas multò ante scriptas, ante dies quatuor primùm accepi ab auriga quodam, nescio an ipsius aut alius culpa. In ijs dubitationes quasdam & argumenta profers contra loca quædam libelli nostri de Peste, pro quibus in præsentia tibi gratias ago. Considerabo illa diligentius cum D. D. Cellario & Vuolphio, maiore ocio. D. Cellarius magna ex parte libellum illum confecit, D. Vuolphio tamen & me approbantibus. Video multa posse melius dici & distinctius, sed requirebatur à nobis hæc breuitas: & vulgo hominum scriptus est, non eruditis, quare semel & iterum monetur lector, consulendos esse medicos, si fieri queat: non posse omnia satis explicari scriptis, &c. Quæ de antidoto Matthioli scribis, libenter cognoui. In Paracelsi de Peste libellum confectam à te tabulam si miseris, gratius erit synopsis illam paucis cognoscere, quàm longas eius deblaterationes legere. Remittam autem statim. Antimonij Peletarij descriptionem habere me puro: à qua tamen abhorreo propter hydrargyrum. Arundo illa Indica, cuius semen Patanio attulisti, viuit ne vobis adhuc? Semen à te missum iam non memini, seui quæcunque misisti: sed Canna nulla prouenit.

Calycem licet vacuum, si habes, mitte: & semen, si plura non suppetunt, vel vnicum adde. Cuperem etiam specimen Cannæ indicæ illius, è qua globulos horarios conficiunt, in vno alteroq; globulo videre. Quæ de viribus miris olei de fructibus solani pomiferi (sic enim ego voco) mihi communicasti, perlibenter legi. Ego solanum herbam paris tetraphyllum quoque, vel ex eo oleum idem præstaturum considerem, nam in graui hæmorrhoidum dolore nuper id felicissimè expertus sum: & scio altius in carbunculis & apostematibus pestilentibus, folijs aut acinis impositis feliciter vsos. Id verò an proprietate aliqua faciant, aut suæ qualitatibus vi, in medio reliquerim. Hoc scio, valdè refrigerantia pleraque, vt mandragoram, cicuram, hyoscyamum, tubercula dura, & quæ calidis mollientibus & digerentibus minimè cedunt, ex æquo dissipare: lego etiam ebur ab eis molliri. Rhodia radix, si superstes fuerit ab hac hyeme, libenter ad te mittam: & ex tuis quorum spem mihi facis, expectabo cupidè: Theatrum tuum felicissimè & absolui & distrahi opto. Fama est Lithuanos nuper cladem à Moschis accepisse. His iunxi literas, quas rogo vt primo accerto nuncio, Friburgum mittas, peruelim autem tradere vestranium: alicui ad vos redituro, vt & viuere Friburgensem illum & literas curaras esse intelligam. Responsum etiam vrgeri vellem ad te mittendum: quod tu postea ad me dares, id enim plurimum me refert. Quicquid expenderis in nuncium, indicato. Vale. Tiguri 1565. Februarij 23.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

Mitto radicis Rhodiæ partem à me resectam: quæ planta tibi facile crescet, vt & aliàs expertus sum, noli autem nimis profundè terra obruere, sed ita vt gemmæ turgentes propè superficiem sint. Huic addidi pulegij ceruini plantulam, ab vna mea refractam. Monspelio missum est Lugdunum ante annos aliquot, inde ego accepti, facile crescit, iub hyemem ramuli in terram curuari & obrui debent. Item Cephæ plantulam folijs portulacæ: & bulbulos Ornithogali adnatos maiori, quem habeo, & persoliatæ perennis seu montanæ plantam. Tu eiusdem generis *avridopa* vicissim spero aliqua mites. Ex ijs, quæ habes, desidero in primis, Smyrnum verum, cytisum, archangelicam, glaucium seu papauer cornutum.

nutum.

nutum rubrum : malim autem plantas quàm semina , vt flores futura æstate sperare possim , & picturas curare. Tabellarius hic vicinus meus & compater rectè curabit , quicquid mandaue-
ris. Populus alba cum florebit apud vos , quod fortè iam fit , cura quæso , vt flos mihi pingatur suo colore & lineamentis omnibus bene expressus , & florem vnum chartula inuolutum mitte. Crescebat in prædio D. Platteri , hortare studiosum aliquem medicum , vt in nostram gratiam obseruet : vellem & arbusculam vnam eius generis nouellam ad me mitti per hunc præcipue nuncium , antequàm in germina aut surculos erumpat. Quicquid expenderis , indicabis. Euporiston Dioscoridis exemplaria quatuor curabo ad vos mitti Argentina ad Mechliniensem , quorum vnum tibi donabo , alterum D. Huobero , tertium D. Platteri , quartum D. Gratarolo. Rhellus Argentinæ impressit : vrgebo vt mitrat ante suum discessum Francordiam , si fieri poterit. CL. V. D. Huobero me commenda : qui si voluerit mittere partem illam Rasis , in qua de medicamentis agitur simplicibus & compositis , gratum faciet , poterit autem includi dolio alicui huc mittendo à Mechliniensi , siue nunc , siue post nundinas. Chamæmalum peregrinum odoratissimum , si habes , mittendis ad me adde : aut à D. Cælio nomine meo pete , qui forsàn & ipse aliquid addet. Perierunt mihi rhododendra aliquot , (quotquot habebam , quatuor aut quinque) hac hyeme , & myrri etiàm præter vnam vix semidigitum longam. Si D. Cælio abundant : & crethmus , & aliquod fortè rarioris brasseicæ genus , gratissimum erit , si miserit. Vale. Tiguri 1563. Martij die 22.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico

MVndellæ theatri editionem perge quæso vrgerè. Herrellij mortem doleo. Pro ijs quæ de Ioan. Bund. scripsisti , gratias habeo. Georg. Cellario de perficienda Massarij harmonia , locutus sum : & forsàn reciperet : sed metuo ne longo admodum tempore immoraretur , etsi enim ingenio & doctrina valet , ad labores lucubrandi natus mihi non videtur. Vuolphius autem occupatur in alijs. Quas misi plantas , rectè ad te peruenisse : proijs illis quas vicissim tu *dividape* misisti , gratias ago. Archangelica tua nobis spontè passim circa riuos montanos abundat , vix puto tibi æsemine natam. Panacis churonij , quod herbam Doriam Itali vo-

cant, pulchrè sanè, & facillimè diuissimè que durantis in hortis
 nostris, vnam & alteram plantulas, si desideras, accipies aliàs.
 Chamæcerasi genus illud, quod Arabes Mahaleb vocitant (ego
 Petrocerasum vocari posse puto, quòd in petrosis montium lo-
 cis nascatur) plantã puto te in horto habere aut habuisse: nec pro-
 cul Basilea nasci, Tornaci nimirum. Cupio autem scire, si planta
 sti, an tibi adhuc viuat. Vellem arbusculam per exiguam, superfi-
 cie resecta, ad me aliquando mitti, forrè studiosus medicinæ ali-
 quis pro lustrandis herbis eò exiret admonitus, & vnam atque
 alteram plantam adferret. Difficile effodiuntur inter saxa. Deli-
 gere oportet et nouellam aliquam, minimè annosam. Apparent
 autem sæpe nouellæ, quæ non sunt, quòd radicum magnitudo o-
 scendit. Nuclei eorum contra renum calculos valent, vt aliorum
 quòque cerasorum, quibus tamen efficaciores multò sunt, & odo-
 ratiores. Depictum habeo ramum cum fructu, floris picturam
 adhuc desidero: sicut & amygdali, & populi albæ, quã puto iulos
 quosdam florum loco ferre. De his singulis sat fuerit ramulum v-
 num exiguum cum flore pingi: ne sumptus maior fiat, quàm opus
 sit. Theatrũ tuũ libentissimè videbo: etsi munus illud splendidius
 erit, quàm *uoluptas* nostra, si ad te peruenerint, mercãtur, *uoluptas*
uoluptas, in eo si quid animaduertero, de quo admonendus uideare,
 faciam vt amicum candidum decet: quod à te vicissim in Eupo-
 ristis expectabo. Narcissos perisse miror, cum genus bulbosum
 non facillè pereat, saluis semper radicibus. Si tibi reuixerint, aut
 hyacinthi, memineris mei. Malum medicam pomiferam his die-
 bus accepi, legatam mihi: & Berna missam viticem: quam D. Be-
 nedictus Aretius illic aliquot annis aluit, ita vt hyeme sem-
 per perisse uideretur, superficie tota arefacta: sed Maio men-
 se quotannis noua à radice pullities exorta est: quam ego etiam
 hoc anno sperabo.

Ex Anglia nuper ad me scripsit Ioan. Caius medicus, se mittere
 ad Frobenium & Episcopium libellos quosdam suos imprimen-
 dos: quos si non admiserint, se uelle vt ad me mittantur, eorum e-
 nim altero de canibus Britannicis agit, *de quibus prope hunc*. Is ico-
 nibus opus habet, ni fallor. Quare peto mi D. Zuinggere, vt per
 occasionem, huius aut illius filios Typographos hac de re allo-
 quaris: vt an acceperint, & an impressuri sint, & quando, sciam.
 Canum quidem icones Froschouerus noster habet: qui hoc no-
 mine commodius imprimeret: & si, an uellet, nescio. Postremò
 scire à te cupio, an inuenire possem apud uos aliquem iuuenem

aut adolescentem mediocriter instructum literis, medicinae studiosum, pauperem, modestum & bonum: qui mihi scribendo ac describendo nauaret operam: posset interim lectionem vnam aut alteram publicam audire: & domi apud me obiter in mensa & aliis proficere. Non sufficio laboribus lucubrandi: quo doctior esset adolescens, eo plus me iuaret. Si quem inueneris, qualis sit, cuius aetatis & doctrinae, & quando venturus, si peterem, significat: Aetate futura forsitan etiam alpes, eo comite ascenderem. Vale. Tiguri. Aprilis 8. 1565. Saluta meis verbis D. Huoberum virum clarissimum & bene meritum de me: & doctissimum Caecilium cum Augustino F. cuius literas nuper accepi: & neptis meae statum intellexi, cum aliquid ipsis dignum habebō, rescripturus.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

Quinto Maij ad te scripsi, hoc tēpore nihil scripturus, quod temer nos hic inuisurum vnā cum D. Oporino, cupidissime me expectem, vti ambo spem nobis fecistis. Sed cum D. Mundellae felicitis memoriae nepos hodie ex Italia huc venerit, ad vos Basiliam descensurus, & tuus ad nos aduentus mihi dubius sit, nolui cum sine meis ad te literis dimittere: vt nunc iterum & postremo Theatrum patruū tibi commendem: quod omnem lapidem moueas, vti non solum excudatur (sicuti receperunt, D. D. Episcopus & Frobenius primum pariter, deinde Episcopus felicitis memoriae seorsim, ac postremo etiam filij) verum etiam ita cudatur, vt excusoribus vtile, studiosis commodum, & auctori honorificum sit. Da quaeso singulare hoc pietatis genus in defunctos, manibus authoris: memini te viuenti ipsi operam tuam pollicitum. Gratum se futurum promittit etiam hic nepos eius, Ioannes Baptista nomine, iuuenis sane honestus ac literatus, quem tibi plurimum commendo. Scribo ad Episcopos quoque, de qua mea sententia, quam alias ad te perscripseram, aliqua repeto, sed omnia tui iudicij & rutinae permitto. Scio te in multis maximis occupationibus literarijs praesertim, & lucubrationibus proprijs perpetuo versari. Sed subtrahere quaeso tibi aliquantulum temporis, quod plenum solidumque aliquod consilium ad huius operis perfectionem depromas: & vel D. Gratarolum, vel alium in prima eius aggressionē instituas si mal ac iuues per aliquot folia. Mihi certe opus vtilissimum.

futurum videtur, nec ita multo labore perfici posse, præ eo, si à principio nouū tale tantumq; opus fieri deberet. Vale & ad nos aduola quàm primùm, ne nos iam diu audivissimè aduentui tuo in hiantes frustreris. Tiguri raptim 1565. Iunij die 14. Mitto ad te D. Cratonis epistolam de peste ad Peucerum scriptam: quam iam dudū accepi ad te mittendam, tuum enim iudiciū requirit, sed nescio quomodo mittere oblitus sum. Aliquando, si placebit, mihi remittes, nondum enim perlegi: & tuum simul iudicium epistola non obsignata ad D. Cratonem: vt cum perlegerim, ipse obsequem. Vide quantum de te mihi promitto.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuingero medico.

CVM vicinus hic meus ad vos descenderet, arripui chartam, vt nunc video sordidam, adeò familiarem me tibi puto. Remitto D. Cratonis epistolam, quam apud me reliqueras. Multis iam mensibus nihil de eo cognoui: & valetudini eius timeo. Liber meus *de pesti* nondum est absolutus: & adeò me occupat, vt aliud nihil ferè cogitare possim, etsi non magnus. Tuas in Ethica tabulas parum adhuc vidi: quæ autem vidi, perplacent: nec dubito quin omnia suo auctori respondeant. Inspeci etiam obiter Neandri scripta de suis collectaneis: quæ mihi summopere placet, & optarim locos communes ex omni optimorum auctorum genere collectos extrare: alios ex Latinis tantum, alios è Græcis. Græci pro Stobæo nostro, in quem priuilegium impetraui, augendo facerent: quem à me valdè auctum iam pridem, si Froschouerus noster nolit, per alium quempiam recudi curabo. Tu ea de re, si videbitur, cum D. Oporino colloquere. Habeo & Procopium Græcum, quem cuperem edi sua lingua. Stylus est elegans, & viris Græcæ linguæ doctissimis probatur. Tua omnia breui remittam. Vale. Tiguri. 1565. Augusti die 9. Præluit iterum hic pestis: quæ iam intra quatuordecim dies tres tantum absumpsit in vrbe. In pagis autem proximis, ad lacum, permultos. Hodie in angina periculosissima cataplasmate ex hirundinis nido cum melle & adipe gallinaceo veteri, felicissimè vsus sum. Cum se occasio offeret, Eryngij florentis plantam integram mitte, quaeso, per aurigam, aut alium qui curet: vt curem depingi, & suo tempore semen.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

SID. Oporinus exemplaria circiter 16. Liebleri, Franco-
rdiæ Froshouero adhuc dederit, bene erit. Gaudeo Ethica
tua tam citò publicatum iri. De Elaphobosco gratiam ago, her-
ba altera, pinguis, flore luteo, mihi etiam in horto crescit: & cir-
ca vias multis in locis, orminum luteum voco. Itali quidam
Cerinthen putant: Germani aliqui flökrant, quòd folijs per
cubicula sparsis, cum pinguis & viscosa sint, pulices adhæreant,
& facillè simul euerrantur: facultates eius nondum explorauì,
calfacere, emollire & discutere videtur. Flos ac semen Ormini
est. Plura nunc non licet, & Froshouerus festinat includere
mittendum ad vos dolium, cui munusculum addidi, libellos me-
tallicos & de lapidibus nostris. Vale raptim. Tiguri 1565. Au-
gusti die 28.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

VAsculum illud cum herbis aridis, tam serò tibi redditum mi-
rarer, nisi magnam hominum tum inertiam, tum perfidiam
experirer indies. quòd autem herbæ laceræ sunt, eius causam
iam pridem scripsi. Reliquas tuas mittam propediem, festinan-
dum est mihi necessariò, vt innumeras illas quas D. Bauhinus com-
modato dedit, depingi, aut meas quarundam picturas ex illis
emendari aut absolui curem, quod vbi perfecero, ad tuas acce-
dam, pauculas quidem illas, quas interim optimè tibi coniun-
ctas seruo. Optarim autem si quas rariores & peregrinas plan-
tas, earumque partes repositas habes, illarum nomina saltem ad
me scriberes, primo quoque otio, ita vt cum singularum mentio-
ne exprimeres, an flos quoque fructus aut radix, vnum ex his
vel duo, vel omnia, præter stirpem cum suis folijs, adessent. Hæc
enim tria, vt in omnibus serè plantis ad viuum exprimam, valde
contendo. Ex his enim potius, quàm folijs, stirpium naturæ & co-
gnationes apparent. His notis (à fructu semine & flore) Sta-
phisagriam, & Consolidam regalem vulgò dictam, Aconito
συμφύλας ἔχει βοτάνης, facillè deprehendi. Perlecto Catalogo tuo,
perpaucas ex his fortè peterem, ad perficiendas picturas meas,
aut aliquas ex eis etiam nouas faciendas. D. Cortusius Patauius

iam aliquoties multa ad me misit: & postremo inter alias, Hierichuntida dictam rosam cum folijs. Pro Continēte Rasis tibi, & Cl. medico D. Houbero (quem præceptoris instar colo) maximam habeo gratiam. Video in eo plurima instituto meo necessaria inesse: ad quæ omnia exscribenda ocium mihi non datur: nec ausim committere alij, ne tam elegans liber commaculetur. Itaque remittam fortè qualem accepi. Percuperem autem te à Cl. senatore. D. Henrico Petri, vetere patrono meo optimè merito, interrogare, nunç ipse forsàn hoc volumen non ligatum, aut non ita eleganter habeat: verisimile autem est eum habere, cum cætera, præter hoc, Rasis opera, excuderit. Si habet & commodato dare dignabitur, nec metuit litturas si quæ fortè incident (innoxia tamen contextui) obiter, dum vtar, loca multa emendabo, & multorum Arabicorum vocabulorum in simplicibus medicamentis interpretationem adscribam: quod iam etiam in Auicennæ libro secundo feci. Utinam typographus aliquis apud vos egregium hoc volumen, & medicis necessarium meo iudicio, recuderet, nunquam in Germania profusum. Cornarij Dioscoridem quoque accepi: pro quo in D. Episcopij per occasionem meo nomine gratias velim agas: donec mihi etiam idem faciendi occasio detur. Mitto D. Cratonis ad te literas, quas hodie accepi, unã cum alijs iam pridem datis, quibus peti, vt te vrgeam de mittendo ei responso: quod iam factum à te puto. Accepit nos hæctenus pestis hisce mensibus proximis multò clementius quàm superiore anno. D. Episcopij aut fortè nunc Frobenij, si vllum habent librum medicinale manuscriptum in folio, is ipse fuerit, quem commodato ad breue tempus peto: cuius te per occasionem meminisse velim. Rursus in alia D. Cratonis ad me epistola, quã his diebus accepi, hæc verba addita sunt. D. D. Zuingerum vel alium horteris quæso, vt Præfationes & Epistolas in libros (diuerforum scriptorum) D. Simonis Grynæi in vnum librum colligat, & ædat. Hoc tibi si non vacat, per alium fieri curare poteris. Vale. Tiguri. 1565. Nouembris die 26. Spero me breui habiturum femina herbæ ex nouo orbe allatæ, cuius folij particula mandentem solum (licet non degluciat) aut fumum haurientem, subito inebriat: vt ipse non semel expertus sum. Iconem habeo, flos elegans est (Bernæ natus amico) Conuoluoli seu Campanulæ instar, purpureo colore. Hæc & alia fortè rariuſcula accipies, si me iuuare, & rariorum rararum catalogum ad me maturare pergas, &c.

CONRADVS GESNERVS THEODORO

Zuinggero medico.

A Nte septimanas quinque misi ad te pegmation cum herbis
 siccis, quæ à Reginaldo pharmacopola acceperam, id an re-
 ceperis significa. Reliquas etiam herbas paucas, propediem mit-
 tam. Aegrotavit aliquandiu pistor meus, ut opera eius ut non li-
 cuerit. Remitto nunc tandem scriptum tuum de peste ad D. Cra-
 tonem, quod mihi omnino & nobis omnibus perplacet. Descripse-
 runt hoc sibi & probant D. D. Cellarius, Vuolphius, Funcius, ma-
 gnas pro eo tibi gratias agimus. Nobiscum in vrbe satis clemeter
 adhuc agitur, puod ad pestem in agro savius. Quod ad præserua-
 tionem, nescio an aliquid melius excogitari possit Oxymelite meo,
 minori aut maiori, aut mixtis versisq;. Percupio ut de Continenti
 Rasis partem illam quæ de simplicibus medicamentis agit, à Cl.
 viro D. Houbero mihi nunc impetres, remittam breui & tuto,
 & tractabo pure: nec ero ingratus pro hoc beneficio. Vbi & quan-
 ti emerit opus totum, scire cupio. Affini huic meo rectè commit-
 tes, si vacabit nunc: sin minus, his diebus mature tradi poterit alicui
 ex ciuibus nostris peplorum mercatoribus, qui ad nundinas ve-
 stras veniunt. Si vero grauetur (quod non spero) mihi commo-
 dato dare, à D. D. Episcopijs (quos saluro amanter) mihi pete
 quæso commo dato librum Græcum manuscriptum medicinale,
 in folio, nomen authoris excidit, Damasceni cuiusdam esse puto:
 breui me remissurum addes. Habui eundem à parente ipsorum pig-
 memorie ante annos aliquot, & obseruavi simplicium medica-
 mentorum rara quædam vocabula inesse, quæ nunc excerptere cu-
 pio. Vellem præterea, ut si Cornarij in Dioscoridem imperfectum
 aliquod exemplar haberent, id ad me mitteret, indigeo enim ad pri-
 uata mea studia, pro quo beneficio ne sim ingratus, in Pandectis
 medicis nostris, quas D. Vuolphius nunc parat, id volumen non
 sine aliquo elogio nominabo. Eisdem dices me librum Græcum,
 Aristotelis paraphrasin, quam D. Bechius vertit, manuscriptum,
 iam pridem à parente ad me missum, ipsis nunc remittere, in va-
 se Froschoueri ad Mechliniensem: & ei coniunctum esse volu-
 men Italicum, quod ad D. Cælium pertinet, quem etiam de hoc
 moneri cupio. Pro vectura iã hic satis feci Froschouero. Ad comi-
 tem Furstenbergens. colicæ cruciatibus vehemeter obnoxii, voca-
 tus medicus quidam clysteres ferè 30. iniecit frustra. Postea alius
 quidam amicus meus (qui id ad me scripsit) accersitus propinavit:

Oxymel

Mannæ Calabræ ꝑ. ij. f. olei amygdalarum dulcium ꝑ. ij. omnia dissoluta in iure gallinæ pingui pro ientaculo bibit æger, & mox melius habere cœpit: medicum 70. florenis honoratum dimisit, &c. Parauio ex horto Magnifici D. Priuli, si potes, accerse nobis Chamædaphnen verã, & Cirsiū: hoc est, plantas siccas integras, aut pictas, & semina; &c. D. Zuinglij nostri vxorem vteri suffocatione simul & ventris profluuii periclitantem nuper curauimus, & inter cætera hoc dedimus remedium.

Æ. theriacæ optimæ ꝑ. j. philonij ꝑ. s. medullæ cornu monocerotis, boli Armeni Orientalis, ana ꝑ. s. misce: eo accepto cum iure cicerum puto, paulò post in sudorem soluta est, & paulatim melius habuit: Quod scribo; quoniam idem aut simile medicamentum peste etiam correptis plerisque saluberrimum fore sperarem: possent autem quatuor vel quinque grana euphorbij vel camphoræ vel vtriusque addi. Opium in antidotis sudorem mouere obseruaui: & opium aut ei respondentia, vt solanum somniferum, nucem vomicam; solanum tetraphyllum, hoc est, herbam paris, contra pestem in homine & alijs animalibus præcipuam omnium vim habere: sed miscenda sunt calidissima aliqua. Vale. Tiguri. 1565. Nouemb. 30.

CONRADVS GESNERVS DIDYMO

Obrechtio Argentinensi medico.

thoophv.
Mitto ad te clarissime Obrechtite, libellum Paracelsi recens excusum, in quo si pleraque fortè tibi displiceant, pleraque etiam ita sint obscura, vt Oedipo; Delioùe naratore opus habeant, erunt tamen aliqua fortè quæ placeant, aut saltem quæ admireris. Fuit is Paracelsus nostra memoria Magus, admirabilis homo, notus amicis quibusdam meis, à vicinis nostris Heluetijs oriundus, peruagatus magnam orbis partem. Chymica arte, quam ipse puto Spagyricam vocat, excellentissimus omnium, ita vt per eam metalla immutaret, argentum ac aurum faceret (quod nuper audio quendam testatum esse in libello Chrysochoæ titulo Colonie excuso) & morbos inueteratos ac alijs omnibus Medicis incurabiles, breui & facilè curaret, lepram, hydropes, epilepsias, vlcera cacoëthe, id quod mihi discipuli quidam eius testati sunt, & amici ex Polonia scripserunt. Libros complures scripsit, si quis aliquid quot, ordine præsertim legerit, facilè intelligi aiunt. Sed plura de Mago hoc scribendi ocium nunc nō est; hoc enim tēpore in diuersas orbis

Orbis nostri partes permultæ ad amicos literæ mihi sunt scribendæ. Quamobrem ignosces mihi, quod breuius rudiusq; hæc exarem. Hortum nouum & amplum hoc anno struxi, exemplo tuo impulsus, laudabili opinor æmulatione, vt multitudine & raritate stirpium tecum contendam, sed metuo, ne vincar, quoniam cælum nostrum minus nobis propitium est, & occupationes variæ, vxoris valetudo, & alia quædam me impediunt. Enitar tamen quo ad potero, tum aliàs, quoniam in rerum naturæ cognitione delicias meas ponere soleo, tum vt accuratius institutum Historiæ stirpium volumen olim (Deo fauente) perficiam. Ad eam rem labores & sumptus subinde magnos sustineo. Amici Galli, Itali, Angli, Germani, Poloni non pauci me adiuuant liberaliter & candidè: inter eos doctissime Obrecht te quoq; non postremum esse cupio, oro, & obsecro. Peto itaq; ex amplissimo pulcherrimoq; horto tuo semina, præsertim spinæ citrinæ & alterius, quam (ni fallor) solstitialem nominabas. In Catalogo hortorum Germaniæ, quem ad Rihelium misi, sæpe te nominavi, in eodem, quæ nam nobis nascantur reperies: ex quibus quæcunque petieris mittam certè libenter & liberaliter: propter eximiam tuam in me hospitalitatis meritum. Vtinam me quoq; meosq; hortos inuisere tibi liberet, ac simul metallorum, lapidum, gemmarum. animalium genera *puþia*, picturas innumeras, fenestras xv. in quibus marinorum, fluuiatilium, & lacustrium piscium species omnes elegantissimè in vitro depictæ sunt, &c. & aliqua ad artem nostram faciendam non inutilia. Forsan etiam Doctor Vtricus Chelius noster te comitaretur, quem meo nomine plurimum saluere cupio, & amicos reliquos, in primis verò clarissimum parentem tuum, pietate & alijs virtutibus venerandum senem. Vale in Domino quàm felicissimè. Raptim Tiguri anno 1560. Martij die 13. Hic qui tibi has reddidit, mox ad nos redibit: per illum quæso scribe aut saltem mitte, si quid mittere potes, & D. Doctorem Massarium quoq; (ad quem his diebus scripsi) vt idem faciat hortare. Valde cupere D. Rihelium libellum meum de hortis Germaniæ per hunc nuncium ad me remittere, ego auctum & emendatum alicubi, ad initium Iunii, quo tempore nundinæ Zurzachæ sunt, remitterem, sin imprimendo statim pergere maualt, retineat. Non vacabat relegere.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Aretio, Sacrarum literarum professori, Bernæ Heluetiorum.

ANte biennium, circiter, memini literas tuas accepisse, Benedicte doctissime, Marpurgi scriptas, quibus semina quædam ad te mitti rogabas. Ad eas, quod hætenus non rescripserim (nihil enim dissimulabo) ignoscas, multas ob causas. Primum quæ petebas, apud nos non exant, ex Gallia vel Italia petenda: deinde nõ licebat, propter tabellionum inopiam, alio quàm sub nundinas Franckfordienses tempore literis tuis respondere, quo quidem ego propter libros à me editos magis, quàm vlla anni parte occupatissimus hucusq; semper fui. Accedunt bellorum calamitosi casus, qui ita nos affecerunt, vt neq; mihi liberet de plantis, tam humilissimis temporum rationem spectes) argumento, ad amicos scribere, nec illis, si quid tale scripsissem, gratum futurum existimarẽ. Nunc verò quoniam & propinquior nobis es, & bellorum tumultus aliquantulum subsederunt, non iniucundum erit de re herbaria frequenter tecum conferre. Nouam conditionem instituendæ adolescentiæ gratulor tibi, interim tamen nè *à sapinò* deseras, adhortor. Plurimum Vuigandus Hæssus nuper literis suis te laudauit & mihi commendauit: quod quidem minimè opus erat, cum & Helueticæ communis patriæ & doctrinæ coniunctione, & maxime religionis, charissimum te semper sponte mea tuoq; merito sim habiturus. Fuchsius nuper mihi significauit, herbarum figuras se vltra trecentas habere nouas, quas nescio quando seorsim editurus sit. Sed ne herbarij studij inanes tibi literas mittam: quid his diebus à me in Plinio obseruatum sit communicabo. Plinius igitur lib. 21. cap. 13. sic scribit. Herba est ab exitio & iumentorum quidem, sed præcipuè caprarum, appellata Aegolethron. Huius flores concipiunt noxium virus aquoso vere marcescentes. Ita fit, vt non omnibus annis sentiatur hoc malum (vt scilicet apes mel venenatum ex floribus huius herbæ corruptis colligant) Hęc ille. Videtur mihi sanè *αἰχμηδρον* herba ista, quam rustici nostri vocant, Die Böß Blüm / & den Bösen heinrich / similis planè, quod ad superficiem, herbæ illi, quam Hieronymus nono loco inter Satyria ponit, (cum Orobanche potius sit, multi imperiti pharmacopolæ hypocisthidem hætenus vocabant) crescit enim sine folijs, caules tantum floribus carnosiss & acinosiss onustos gerit, ex pallido colore ad purpureum inclinantes: radix alba est & multis nodis coherens, ad sex vel vltra cubitorum longitudinem, quæ cum es-
foditur

foeditur, humore plena & tactu frigida percipitur. Vites iuxta nascentes, frigore suo interimit. Caulis enascens pavementum etiam penetrare potest, quamvis tener & mollis. Gramen in circuitu copiosius nascitur, sed id quoque vapore eius infectum, quamobrem a vaccis non attingitur (equi tamen non abstinent) Semina rotunda milio similia, &c. Hæc herba cum adeo noxia sit, & verè tantum paucos dies appareat (mox enim à sole marcescit) & flores proferat vt Plinius scribit, aquoso vere marcescentes, planè videtur mihi Aegolethron esse: idque pluribus probarem, nisi chartæ angustia obstaret. Tu etiam si quid habes à te obseruatum, mecum communica. Vale. Tiguri 1551. Calend. Iulij.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO
Aretio Theologo Bernensi.

Quod Bullingerus & ego nihil effecimus in eo, de quo à te & Hallero scriptum est, negotio, nulla culpa aut negligentia nostra factum esse (humanissime Benedicte) satis te intelligere arbitror, nec est quod pluribus rei molestæ, quæ reuocari non possit, memoriam extendam. Arouiensis bibliopola ante quadriduum, amplissimum casuum liberalitatis tuæ munus attulit, vnà cum lneris tuis: Eodem die alteras etiam à Ludouico Herbario accepi. Pro casco maximas tibi gratias habeo: non tantum merebantur Indici porcelli, satis mihi erat à te amari, καὶ ἰνδὸν ζῴον ἢ ἢν νικῶν τοῦς ἰνδουσίους, καὶ ἂν τῆ σῆ φιλοδοξία ἐπὶ πλείον ἡτέροιμι. Οὐκ ἔστιν ἔγωγε, ἔγω ἔρ σοι καὶ ἔκαστὸν συζῶν τῆς νικῆς, καὶ ὁμοιογῶ μὴ ἡτέροι, δὲ συζῶντων δὲ ὁμοῦ παρ' ἑμαυτοῦ, καὶ ἀπαραικτῶ, ὅτι τῶν πρωτέων τῶτων ἀπρ' αὐτοῦ μὴ ἂν ἔσθας. Ego ne possim tibi ambitiosus videri, aut qui tecum muneribus certare velim, nihil remitto, præter vnum vel sesquifolium papyri, quod ἐπιπλῆνῆ ἄλλα παραγγέλματα continentur. Libellos nostros iam semel & iterum promissos καὶ τῶν συνλιπιδῶν βοτανῶν, καὶ ἐπὶ τῷ Πιλατέῳ ὄρου πλεῖστον, breui expectabis. Quæ de Astrantia nigra (quam Fuchsius etiam pinxit & descripsit) & Doronico Germanico vel alpino scripsisti, perliberet legi, & nomina quædam noua didici. Omnino autem tecum sentio de Doronico, idem esse pharmacopolarum Doronicum Romanum, & nostrum, nescio vnde dictum, Grassoyum, nisi quod generis vnus proximi, natalibus & magnitudine non nihil diuersæ species duæ proximæ videntur. Vale cum amicis. Tiguri 1552. Ianuarij die 29.

Doron:
Grassoy

EPIST. CONRADI GESNERI
CONRADVS GESNERVS BENEDICTO
Aretio Theologo Bernensi.

GRatissima mihi litera tuae fuerunt, gratissima etiam quas
T misisti stirpes: pro vrisq; maximas tibi gratias habeo. Ro-
go autem vt pergas frequenter huiusmodi ad me misitare: nam
tu solus ferè amicorum mihi reliquus es, à quo aliquid in hoc stu-
diorum genere expectare possim. Cæterum quod super ijs, quæ
mittis meum expectas iudicium, magnum modestiæ tuæ argu-
mentum est. Inter ea quæ misisti maximè admiratus sum sylue-
strem illum Croci florem, neque enim aliter appellare possum, &
nunc hæc scribo festinans: percuperem autem descriptionem hu-
ius floris copiosorem ad me dari, vt etiam herbæ illius quam
hundtszung vocasti: neutra enim antehac mihi visa est. Ater
quem mittis, à Fuchσιο etiam pro Atere pingitur. ego nondum as-
firmo. Hirtzwurtz herba folijs ferè Chamædryos, sæpe mihi in
altis montibus inuenta, nullo hactenus nomine mihi cognita fuit,
nunc saltem Germanicum ex te nomen eius audire gaudeo, quan-
quam id *ἰουβύριον* est: nam vna aut altera species *Σιρίμιος* vulgò
hirtzwurtz nominatur. Ea, quam putas Anagyrin, Laburnum
Plinij est, floribus luteis oblonga serie dependentibus, cuius lignū
apes fugere, vt Plinius tradit, à rusticis Sabaudia vestræ audiui,
&c. Anagyrin Venetijs vidi, arborem similiter trifoliam, sed di-
uersa foliorum specie, quæ mecum attuli, fortè congeneres fue-
rint. Berg rosen in multis montibus inueni, & Sabaudica Itali-
cæq; nomina diuersa audiui, quorum nullum Latinam Græcāmue
originem præ se fert. Nuper Italus quidam medicus pius & eru-
ditus Bergomensis affirmauit mihi, hanc stirpem in quibusdā Ita-
liæ officinis, Bergomi præsertim, pro Balsamo vsurpari, lignum
scilicet pro Xylobalsamo, semen pro Carpobalsamo. Ex duabus
istis Rutis, quas misisti, neutra est Gallis & Italis Capraria dicta,
vt tu quoq; suspicaris. Illa quæ flores capillaceos gerit, quam
Zinnelen vocaris, fortè à cirris illis, Luteriæ appellatur
Rura pratensis: altera quam scribis Heilblat vocari Helsis, sa-
xifragam luteam (à radice colore) circa Coloniam Agrippinam
& in Anglia nominari audio. Crocum syluestrem & Cynoglos-
sum, quarum iam iam memini, cum radicibus mihi depingi desi-
derarem, addendas Corollario meo quod paro in Historiam stir-
pium Tragi, & icones raras iam supra centum collegi. Vale. Ti-
guri 1553. postridie Pentecostes.

CON.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Aretio Theologo Bernensi.

Quantopere literis tuis delectatus sim, charissime Benedicte, verbis non facile expressero. Mirum in modum accuratissima illa Croci montani descriptio mihi arrisit. eam inter ^{reperita} mea seruabo, vt aliquando, si Dominus vitam dederit, ad stirpium rariorem historiam publicandam depromatur, non sine honorifica tui mentione. Mitto ad te radículas duas, quas in idem Croci cuiusdam montani genus esse coniicio, & si plantam integram hactenus non viderim. Agyrtæ quidam lingua nostra Victorialem marem appellant, Sygwurtz das mienne: nam femina victorialis, similiter quidem tenuissimis fibris cancellata radix est, sed oblonga circiter digitum, aut paulò minus, alij odore, quam in horto meo habeo, nec dubito quin satis tibi cognita sit. Mas rarior est, inodorus: sapor radicis idem ferè qui Croci hortensis, ad Castanearum odorem accedens. Pergrata etiam fuit Elatine tua, quæ tamen an vera sit, dicere nondum possum: assentior tamen, quoniam homines in re medica egregiè doctos, vt Eustathium Laufannæ, hanc Dioscoridis Elatinen iudicare audio. Cupio eam ab aliquo exercitato pictore vnâ cum coloribus mihi depingi (sumptum quem in picturâ feceris, mox vt indicâris, misurus) & similiter Crocum syluestrem què in horto alis, siue hoc, si adhuc fieri potest, siue sequente anno, si vixerimus. Plura scripturum impediunt typographi importuni & assidui flagitatores excudendi secundi de animalibus Tomi. Vale igitur & me ama. Ego quantum tibi debeam facile & libenter agnosco, memineroque per occasionem. Saluta ex me claris. virum D. Nicolaum Zerchini sen, ad quem scribam, cum maius operæ pretium habebo: & D. Hallerum nostrum cum reliquis fratribus. Tiguri 1553. sexto Calend. Septembris.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Aretio Theologo Bernensi.

D Lucas Vngarus à te mihi commendatus, hodie manè primum recessit, interea semper mecum fuit: & quanquâ his diebus occupatissimus fui, literis quas Franckfordiam mitto, scribis, quantum tamen fieri potuit, colloquijs varijs nos inuicem oblectauimus. Gladiolus nullus apud nos nascitur: vestrum qui

in ripa Araris aliquando apparet, qualemcunq; vt mittas prima occasione peto. Is nimirum est, quem Cordus lib. 2. historix plantarum fol. 124. describit, palustris cognomine, in cuius caule summo flores multi ex vno principio nascuntur. Videtur autem idem cum Sparganio Dodonci. Dioscoridis certe Gladiolus flores habet non in umbella, sed *εἰς ἄλλο ἀν' ἀκέραιον ὄνυστρον* hoc est, deinceps dispositos (ab vno latere, *εἰς ἄλλο* vocem alibi apud Dioscoridem, non inuenio, & forte non ab vno latere interpretari conuenit, ceu linea vna nimirum) & paribus ferè interuallis distantes. Præterea radices duæ, & altera alteri insidens, ceu bulbi exigui, vt Dioscorides inquit, non videntur Gladiolo tuo conuenire. Victoriali autem rotundæ dictæ, & flores & radices (si corticem auferas, seu tunicam) sunt quales diximus, &c. Interim non ignoro alium etiam Gladiolum ab eruditis ostendi & pingi, sed qui genere idem sit cum nostro: quare hunc etiam Cordus pag. 97. Victorialem fœminam & Gladiolum syluestrem vocauit. His scriptis vidi quæ in quartum Dioscoridis Cordus de Gladiolo scripsit, quod flos eius veluti in umbella sit, & quomodo *εἰς ἄλλο* vocem interpretetur, quod certè neutrum probo: Pagina 97. verba hæc, De Victoriali fœmina, hoc est, syluestri Gladiolo, ipsius Cordi sunt, non à quoquam apposita, in vtroque exemplari quod habeo: quorum alterum manu eius scriptum est. Vnde apparet ipsum quodammodo à seipso dissensisse. Gladiolus enim ille, quem ceu in umbella flores habere ait, toto genere diuersus videtur. Hæc tua epistola excitatus animaduerti. Vale. Tiguri 1562. Martij die 5.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Aretio Theologo Bernensi.

PRO optimo caseo illo, doctissime Areti, quem dudum misisti, summis certè delicijs, maximas tibi gratias habeo: & per occasionem referam. Propter negotia diu non scripsi, nunc subito admonitus de tabellario ad vos proficiscente, quanquam & hora lectionis meæ instaret, & alia quædam vrgerent, *αὐτοχθόνια* hæc volui, ne diutius viderer ingratus. Habeo à te literas N. N. quas nuper accepi, & iam non inuenio ad manus. Ex hortis Germaniæ nostris multa petiti, semina præsertim, ego aliqua mittā, multa quidē non potero. Catalogū dabo aliàs, vt in quibus ego non possum nonnullis optimo viro, & nostrum vtriusq; amantiſſimo, per te id fiat, hoc est, aliqua ex parte ei satis fiat. *Βοτανομαθὴν πῶς, καὶ ἄλλων σπόδων θυμῶν*

Ἐπιπέδῃ δὲ ἀναστὰς πρὸς τὰ φυτόν : Ἔστ' ἀγλαὴ μὲν ἐν θεοφράστῳ ἀνδρὶ ἰλλῷ τῆς κρή τὰ πάντα σπῆρα
 εἶναι ἰατρικῶν. Χαρτίον δὲ φῆσι ἀγλαὴν τὴν καὶ τοιοῦτον καὶ αἰετὸν ἀντιπαύσασθαι ἰσχυρῶς. Oleū
 Saturni quis vsus sit, quæres à M. Iodoco, ac meo nomine eum salu-
 tabis amanter: quòd si vel exiguum eius specimen ad me mitte-
 ret, gratus forem. Sophia herba Theophrasti quæ sit, ante annum
 audire memini ex sectatore quodam eius egregiè docto: sed is, vt
 cælarem iniunxit, ego tamen vobis ea conditione indicabo, si mo-
 dò scèdam illam reperiam, vt vos quoq; cæletis, quoniam is ita
 voluit: quidnam verò ei Theophrastus attribuat, ex M. Iodoco
 mihi inquiras. *συνάδην* vox apud Dioscoridem, non conuenit flori-
 bus illis Giadioli quos misisti, non enim per interualla, sed omnes
 ab vno principio seu cètro enascuntur. Vale. Tiguri 1562. Maij 27.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Aretio Theologo Bernensi.

Peste hic mediocriter pergente, ego cum meis, Dei gratia, ad-
 huc incolumis sum. Deus te quoq; seruet cum tuis. Nuperrimè
 ad te scripsi, & de antimonio præparato quid indicari cuperem a
 amico nostro M. Iodoco indicaui: ab eo tempore intellexi, non
 modo Basileæ, sed Lugduni quoque permultos vsu eius in peste
 perijisse: quamobrem hoc in morbo, eo abstinerem, nisi omnino
 robustus aliquis in ipso principio, & de quo bene sperandum es-
 set, contingeret. In alijs verò morbis quibusdam, vt scètero, hydro-
 pe non confirmato, & maximè quartana, tutius eo vti licebit. In
 quartana scio aliquot curatos statim, & vnum his diebus qui Cu-
 ria huc venit, quo cum tamen nondum sum locutus. Si quid aliàs
 certius cognouero, quod ipsum scire referat, addam. Mitto libel-
 lum his diebus hic impressum in quo additum voluissim, paucis-
 simis omnino peste correptis mittendum esse sanguinem: idq;
 non nisi nimia sanguinis in corpore valido & ætate vigente, co-
 pia vrgeat, aut symptoma aliquod grauius, vt angina, pleuritis,
 sanguinis sputum, &c. Certum est Lugduni nuper omnes ferè ex-
 tinctos, quibus secta fuit vena: è cæteris qui maturè vsi sunt re-
 medijs, alium præsertim leuiter purgantibus initio statim, mox
 sudorificis, ita vene vltra horam vnã aut alteram ad summum
 sudarent, plerosque seruatos. Ex medicis vestris aliquem hor-
 tare, si placet, vt de remedijs & obseruationibus suis circa pesti-
 lentia curationem aliquid ad me scribat, & suum super no-
 stro libello iudicium. Sophia herba à Theophrasto vocatur

EPIST. CONRADI GESNERI.

Consolida media, die guldin gonsel / hanc putat in vino calefactam & superpositam, venas utcumq; minimas latentes ad superficiem attrahere, vt incidi scalpello queant. & sanguinem concretum per poros educere, sicut & Perforatam. Dodonæus Thaliæstrum suum Sophiam vocari vulgò scribit. Vale. Tiguri 1562. Junij die 19.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Aretio Theologo Bernensi.

Pestilentia apud nos quoq; crescit magis quam decreseat, superiore septima septuaginta hic extinctis. Deus te seruet cum familia & filio, si superest. Experientiæ ferè locus nullus mihi est, nam toto hoc tempore à Calendis Augusti hucusq; qui in tempore me consuluerit, vix vnus aut alter est. Mitto tamen antidoti cuiusdam meæ partem, cuius periculû Basileæ & Argentinæ in plurimis feliciter factum est, & à me quoq; hic in duobus. Theriacæ & alijs plerisque antidotis contra pestem & venena, meritò præferatur. Contra venena quidem etiam præsentissima, magnam eius experientiam habeo. Saxoniam cognomino, è Saxonia enim primum in alias regiones peruenit, sed ad paucissimos hæctenus. Mitto autem parum, sed dimidium ferè eius quod mihi superest. Pondus est drachmarum duarum. Si quem pestis corripuerit, illi drachmæ j. exhiberi debet è vino & aceto acerrimo mixtis, ita; vt vtriusq; sit vncia cum dimidia plus minus, calidè. Super sudandum est autem, si natura admittat, non nimium tamen, ne vires profferantur. Cum autem compositio solida & duriuscula sit, cum exhibenda eris, in valido vase ligneo prius optimè teri poterit, & cum vino acetosq; paulatim affusis dissolui. Dosis est, vt dixi, drachma, pro viro mediæ ætatis: iuniori aut seniori drachma dimidia sufficeret. Posset autem etiam viris drachma dimidia solùm dari, cum eodem pondere bonæ theriacæ admixto. Ad compositionem eius requiruntur fructus & folia herbæ Paris dictæ, (einbeer/ Früzle Frut/ Blarer Frut) quæ cum hoc tempore non inueniantur, parari nunc non potest. Plurimum etiam tribuo liquori composito è succis alijs & ruræ cum theriaca & aqua ardente, de quo aliàs, ni fallor, ad vos scripsi. Vale. Tiguri 1564.

Decembris die 6.

CON-

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Arctio Theologo Bernensi.

PEstis apud nos augeri videtur. Deus Opt. Max. propter Filium suum nostri misereatur, & vestrum quoque. D. Bullingerus Deigratia, melius habet: sed metuo ne in eius familiam hec lues grassetur amplius. Fiat Domini voluntas. His diebus accipi *Arctio* antimonij præparati portionem, quam M. Iodocus vester misit, quem saluto amanter. Id autem mihi non probè paratum videtur: debet enim eousque teri funditè, semper repetendo, donec perspicuum, & gemmæ hyacintho præsertim simile euadat. Sic paratè tria vel quatuor grana dantur cum conserua rosatum, & paucissima mastiche, per horam ante cœnam, si bene memini. Datur potissimè melancholicis & quartanarijs. supra infraque purgat non sine summa molestia, etiam cum probè paratum est. Semel ego melancholico dedi, quem cum valde debilitatum inde animaduertissem, postea non ausus sum dare alijs, benè tamen illi cessit. In peste plurimi ceu præsentissimum remedium id commendant, si maturè detur. Ego cui daturus essem, illi venam non secarè, ne nimium infirmarentur vires. Experiar fortè in robustiore aliquo corpore, nam & à magni nominis medicis laudari video. Quartanarijs quidem tutius dabitur: nec referre aiunt, etiamsi à principio quartanæ aut postea detur, sanare plerunque omnes statim. Deum pro nobis ora, quod nos mutuo faciemus. Iohannem nostrum cupio te argumentis, rationibus & omni humanitate ab opinione τῆ τῶν πωδῶν βαπτισμῶ ἀδερῶν dimouere: quod & ego facere iam conatus sum, & fortè *θεμιχίον η καταβίβληκα, τὰ μὲν ἄλλα ἔκαστος ποιεῖ αὐτῶ.* Vale. Tiguri 1564. Octobris ultimo.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Arctio Theologo Bernensi.

Quod ad ea, quæ de medico illo comperta tibi sunt, bona fide ad me scripsisti, gratiam summam habeo, ego quidem remita se habere omnino suspicabar: grauiora multo apud nos quidam de illo referunt, quæ omnino magicas & veneficas artes sapiunt: quibus etiam veneficas ipsas arguit, accedere cogit, & si ne illis curationem se perficere posse negat. Quod quidem molliori ille & effœminatiore animo est, eò facilius his malis artibus fidem adhibuit. Sed hæc omnia patefaciet tempus. Libri illi, quos

EPIST. CONRADI GESNERI

N. habet, fortè non essent exurendi, antequam aliquis vir bonus & eruditus illis inspectis, modos & methodos maleficorum istorum cognosceret, & refellendo summatim describeret, ita vt liber in archiuis ciuitatis, aut inter secreta Bibliothecæ publicæ seruaretur: vnde redargui possent, qui his artibus vtendo res & artes naturales tractare se asserunt & imponunt vulgo, sicut nunc nebulo ille Dauid. Optimo & liberalissimo vèro M. Iodoco mille salutem & toridem gratiarum actiones à me renunciabis: firmèq; indicabis, qua in re vicissim gratificari ei possim, quod vt deo maximè, ita cupio vnice. Oleum Saturni nunquam antehac videram, nec vsum intellexeram, pro quo ad me tam candidè & luculenter per scripto, tibi quoq; deuinctum me sentio. Oleum vitrioli accepi aliàs, &c. Argentina & Norimberga & aliunde, sed nunquam adeò clarum & limpidum atque hoc est, quod nunc misisti, id quia mihi mirificè placet, in meq; valetudinis vsum inter thesauros meos seruabo. De Sophia herba proximè scripsi. Τὸν ὄρνυον αὐτῆς, ἢ τὸν κομψότατον, ἢ τὸν ζῆνα (τὸτο γὰρ μοι [ἴσως] κινεῖς ἢ ἀλίχον ἰσχυρότερον δοκεῖ) μιστὰ πλάσσει γέλατ' ὅτις καὶ τρις ἀνίχνηται. δίακαμωι ἢ ἕτως αὐτῶ ἀνομήτω σοί, ἢ ἕτως ἀπέμω αὐτῆς πικρὸν μᾶλλον. In pegmatio quoque Toram & Antitoram accipi, radices nempe aliquot cum terra: id vbi aperui, mirus quidam & vehemens ceu fecis vini odor, nares mihi feriebat, ex incipiente (vt conijcio) radicum putredine ortus. Præstitisset muscum humidum quàm terram addidisse, & πρὸς διαπνοὴν, foramina aliquot in vasculo fecisse. Plantaui licet marcidas radices, quarum si quid prouenerit, gaudebo: sin minus, vnam duntaxat aut alteram antitoram per autumnum abs te petam: tuæ enim minus immoratae in via, & plantatae recentius, vti spero optòque prouenient. Antitoram voco illam, cuius geminae ferè radices sunt. Erant & paucae radices tertij generis aconiti, perforatae ferè, vt in Lycostono nostro, à quo an differant, nescio. Vale Tiguri 1562. Iulij tertio.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Aetio Theologo Bernensi.

L iteras tuas 17. Ianuarij scriptas, accepi hodie, hoc est, 26. eiusdem die: quo ipse statim has rescripsi. Pestis, Dei gratia, hic omnino remissae ferè. Faxit Deus ne breui propter peccata nostra eadem denno aut grauior pœna nobis superueniat. Valetudini tuæ restituta & familiae tuæ conualescenti gratulor. Exanthemata quidem & ipsa genus pestis sunt, sed mitiores. A Saxonica an-

ridoto noq

fidoto nostra abhorrere se scribit D. Vollatus, quod Aconitum ei admixtum sit: sed nō est quod abhorreat à medicamento mihi bona fide probatissimo. Non enim Aconitum verum, sed herba Paris Italīs dicta, quaternis semper folijs & acino inter ea vno in syluis nascens, quæ species Solani, à Fuchſio autem falso Aconitum credita, ei miscetur, vt videbis in descriptione, quam mitto in epistola semilacera, sed quæ tibi sufficere poterit. Ocium enim describendi non fuit. In ea leges quæ deleta non sunt, & aliquando remittes. Eam ad me scripsit Moibanus medicus Augusta, ante triennium defunctus, à quo primum mysterium hoc, vt sanè est, habui. Velim te etiam occultare, ita vt vni aut alteri tantum ex intimis tuis medicis aperias: eaque stipulatione communices, vt de suis experimentis secretioribus etiam ipsi vicissim aliquid quod occultari alioquin vellent, mittant. Reuera vis huius antidoti contra pestem, venena, quartanam & alia quædam mirabilis est, vt ipse multifariam expertus sum in ægrotis diuersis & meipso, & ab alijs expertis medicis accepi. Morsellorum theriacaliū etiam descriptionem, vt voluisti, D. Vollato communico: à quo missa accepi remedia duo, electuarium prophylacticum & puluerem, quæ mihi perplacent: quibus qui vitur, cum bona victus ratione, & purgatione interdum conuenienti, Morsellis istis non indigebit. Vale in Domino, qui te diutissimè seruet cum tota familia. Tiguri 1565. Ianuarij die 26.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Aretio Theologo Bernensi.

EA quæ de remedijs contra pestilentiam audita, visa & accepta, simplicia cōpositaq; remedia ad me perscripsisti, clariss. D. Aretij, legi & cognoui perlibenter, cōque nomine H. tuæ gratias ago. Pimpinella quam dicis, ea nimirum est, quæ à Germanis passim quidem & vulgò, sed malè sic appellatur: est autem Saxifraga alijs gentibus, hircina cognomine quibusdam: vetus nomen ignoro: retulerim tamen ad Oreoselina. Pimpinella autem propriè dicta à Gallis, Italīs, Hispanis, &c. Peponis seu cucumeris odorem repræsentat, & Peponella dici debebat: sed recentior Græca M. superfluum ante se, ponere solet, *unò nō pponu*, pro *nō nō pponu*, &c. In Chio hodie Sideritis nominatur. Videntur autem tum Saxifraga tum Peponella, vires putredini ac pesti aduersarias habere: sed maximè illa, aperiendo interiores viscerum meatus, & *re nō pponu*

per vrinam potenter educendo, ita vt arenulas etiam & calculos ducat, sicuti reliqua ferè Apia, sed validius. Inter cætera verò in primis me oblectauit secretum illud à diebus David: & sanè plurimum ego ^{quod} tibi tribuo, nō minus, imò amplius, quàm Scordio plerique, plus enim exiccat & suauius olet, & amara ex æquo magis est. Habebunt horum aliqua locum in historia Kirpium nostra, & forè etiam olim si vixerò, inter nostras De peste obseruationes. D. Vollaam à vobis discedere, mihi sanè etiam dolet, longius enim aberit. Plurimam salutem ei cupio dici meo nomine, meque ei commendari, vt per otium mihi describat herbarum aliquot vires non vulgò notas. Inter quas, si quæ esset nullo antiquo nomine celebris, facultate autem aliqua per eum explorata insignis, non dubitarem illam ab ipsius nomine, Vollaam in meo opere nominare. Cupio autem vt tu quoque Aretiam aliquam tibi deligas. Antiqua nomina nolim irrita fieri: sed plantis illis, quarum apud veteres, quod sciamus, nulla est mentio, neque nominum neque facultatum, amicorum eruditorum & per quos proficio in hoc opere, nomina imponi velim, ceu inuentorum: non refert autem an ipse inuenerit aliquis, an prodiderit primus & mihi communicarit. Multi iam amici mei hoc fecerunt in meam gratiam. Si alia nulla placuerit, vide an Gentianæ speciem, Daschelmenfrut / alijs grosse Bitterwurtz / alijs spieß Blatt / tuo nomine dignari velis: à te enim primùm Germanicum nomen eius, & vsum contra pestem in pecore & bobus intellexi. Sed pergo ad alia. Heri accepi literas à D. Ioanne Cratone medico Ferdinandi prius, nunc etiam Maximiliani Cæsaris, in quibus hæc sunt eius verba. Colligo varia remedia pestis, & libenter colloquor cum ijs quos scio multis in peste adfuisse, & præfuisse: Incidi heri in virum probum & admodum senem, quem cognoui ante annos 22. plurimos hic sanasse. Is mihi (etsi me hoc tacitum, vt sunt isti homines, ferre voluit, & vt secretum credidit) pro certo affirmavit, se tantum decoctum corticis mediij ligni Sambuci cum theriaca exhibuisse, & omnes ferè in quos incidit, sanatos esse. Nullo etiam alio prophylactico se vsum, & sepe pestilentijs interfuisse satisuisimis: nam septuagesimum annum excessit. Vis purgatoria ei non ignota erat, sed negabat sic potum purgare: verùm sudores mouere, id quod propter theriacam fieri arbitror. Quæso vt periculum facias, & de successu ad me scribas, nam ego hic Christo gratia, nunc experiri non possum. Dabo operam, vt citò mea remedia omnia publicè appareant, &c. Quoniam verò mihi quorū experiundi

experiundi occasio nulla est amplius, Dei gratia, ad vos mitto, atque vti nam, ne vobis quidem sit: si tamē fuerit, velim te commendare medicis vestris, atque in primis D. Vollato. Hodie Iohannem Frisium nostrum sepeliimus, iam diu aegrotum. Vale. Tiguri 1565. Februarij die 4.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Aretio Theologo Bernensi.

PRO ijs quæ de Pontiana herba noua ad me scripsisti, plurimū tibi debeo, doctiss. Areti, & cupio seminum, cum acceperis, particeps fieri. Prodesset fortē etiā vxori meæ, quæ subinde sui vlceris varicosi dolore miserrimē affligitur. Si potes, iconem eius aliquam, aut herbam siccam, eiusue partem, mihi impetra. Ego vt vicissim τὰν ἰμνιόγραφον ἰμπεσιῶν βοτάνικόν η ad te dem, paucis hæc adde re. volui. Eupatorium aquaticum vel Auiennæ à multis dictum, (Hitzentlee/oder Funigundte Fran) radicem minorum seu fibrarum eius incisuram pugillo & in vino decocto, coq. colato & potō, his diebus mihi per horam post, aluum semel mouit, postea verò vomitum duodecies ferē cum magno labore: ita vt elabori albi instar purget, sed longē facilius & tutius, profuit mihi sanē plurimum, magna pituitæ copia euacuata. Chartæ inclusam mitto herbulam, cuius nomen à te peto, Germanicum aut vernaculum: Pingitur à Trago, nescio iam quo nomine. Latinum nondum inuenio, nec de eius vi hætenus quicquam proditum est. Si manipulus eius per noctem in vino maceretur, idq. bibatur, bilem per aluum mirē deijcit, nullo periculo, vt ego sum in memet expertus. Est autem peramara, vnde ego Amarellam vocitare soleo. Mitto & aliam, lignosum suffruticem, qui acinos rubeos & austeros producit: reperitur locis palustribus, Grunsellbeer nostri vocant, vestri quomodo? Vale. Tiguri raptim. Martij 2. Anni 1565.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Aretio Theologo Bernensi.

CRATUM fuit, quæ de nominibus Polygali Tragi, & Rosmarj vni palustris (vt vos vocatis) ad me scripsisti, cognoscere. Priorem ego à sapore Amarellæ voco: cœruleam præsertim, cuius vim in purgando expertus, hausto vino in quo maduerat. Posterior Vitis palustris rectē vocabitur, à vinoso acinorum sapore eadem ratione, qua Vitem Idæam suffruticē, quem nos Heidelbeere, vete-

res vocarunt. Postremas tuas reddidit mulier illa, quæ hortum tuum inspexit, vna cum pictura Bellidis surculosæ seu caulescens, nunquam antea mihi visæ: cuius plantam viridem cum radice habere percuperem aliquando. Pestis iterum apud nos quoque præludit. Deus det gratiam, vt rectè præparemur ad mortem: Vale. Tiguri. 1565. Augusti die 22.

CONRADVS GESNERVS BENEDICTO

Aretio Theologo Bernensi.

EXoptatissimum librum tuum, plurimis sanè pulchris & raris plantis refertur, Aroënsis bibliopola mihi reddidit. Per multa in eo sunt, quorum ad icones vsus mihi futurus est, ali- quibus enim omnino carebam; nonnulla verò aliqua ex parte perfectiora sunt, quàm quæ ego reposui. Quamobrem pro tanto beneficio, & candidissimo tuo in me animo gratias immor- tales tibi ago. In ijs singulis quæ prius non habui, vt soleo & par- est, te nominabo, & in prolegomenis inter illos per quos profe- ci. Delectant me etiam quæ passim ascripsisti, ego quoque alicubi no- men aliquod & iudicium meum ascribo, quod tibi non ingratum fore existimo. Hoc tempore totus in eo sum, vt plantæ siccæ, quas à D. Ioann. Bauhino iam pridem siccas accepi innumeras, depin- gantur: quò citius ei remittam, quod fieri vrget. Fertur autem & ipse *βιβλίον φυτόν* conscribere; etsi apud me hætenus dissimula- uit, postremis literis de arboribus tantum se scribere confessus. Ego non offendor, & vellem multos viros doctos passim ac di- ligentes, pulcherrimam hanc naturæ partem omni conatu (si- cut ipse facio) excolere. Nuper à Carolo Clusio literas An- ruerpia accepi, qui magnam Hispaniæ partem lustrauit, & plan- tas Hispanicas se descripturum pollicetur. Bauhini plantæ cum pri- mum depictæ fuerint (quod paulò tardius fiet) ad tuas me con- uertam, vt maturè librum tuum integrum; sicuti accepi, remittam. Pro Pontiana denuò mihi depicta cum suo flore perelegant, de- scripta que, gratias ago. Si periret tibi planta, vt perituram me- tuo (nam omnes ferè quæ anno primo florent plantæ, eodem pe- reunt) radicem quoque mihi serua & mitte per occasionem, si- ue solam, siue potius cauli suo qualicumque hærentem: poterit au- tem in aliquot partes diuisa planta, inter libri alicuius folia com- primi donec mittatur. Vide quã importunus & molestus tibi sim, ignosce homini *φιλομαθέστα, καὶ διὰ τὴν ἀρετὴν οὐ ἀξιωματικῶς καὶ ἰσ- αμῶς*

ἔτι καὶ πάλιν πρὸς τὴν ἰατρικὴν αὐτῶν, καὶ αὐτὸς τὸ ἀμαβρὸν νότον, καὶ τὸ μίτρον καὶ τὸ ἰσὶον
 αὐτῶν δ' αὐτῶν μὲν, ἀπὸ μαρομίου. Pergit hic peffis, sed moderatiffimè. Vale.
 Tiguri 25 65. Nouemb. die 24. multa iam nocte.

CONRADVS GESNERVS CASPARO
Vuolphio Tigurino Monfpelij agenti.

NVper ad te fcripsi, magna quidem festinatione: nec lice-
 bat addere literas ad D. D. Rondeletium & Fontanonum,
 quibus nunc scribo, & rogo, vt tuis inclusas eis tradas, & omni dē
 ligentia me eis cōmendes: in primis clarif. D. Fontano, vt eum,
 cuius specimen misisti, librum herbarium cōmodato accipiam: sin
 minus, descriptum depictumq; siue totum (si videbitur) siue ea tan
 tum quę de rarioribus plantis sunt. Quicquid expenderis, mox &
 bona fide restitua. Cura igitur rem ac si tua sit. Faciam omnia quę
 cuncq; meo nomine promiseris, gratus ero: honorificam eius men
 tionem quauis occasione faciam. Xenocratem *περί τῶν ἐξ ἰσόδρου γίνο
 εῖς*, fac vt maturè accipiam. nam liber meus de Aquatilibus iam
 sub prælo est. Paro breui adendam descriptionem hortorum
 trium, hoc est, nascentium in eis stirpium plurimarum: vbi &
 de cultu quędam doceo, & quęnam tum syluestria coli, tum
 peregrina in Germania nasci non reculent, ostendo. Huc tuam
 quoque operam requiro, mihi Vuolphi, facillimam quidem &
 breuissimam: nempe vt vnus aut alterius horti instructoris a
 pud vos stirpes omnes simpliciter nominatas mihi enumeres. Be
 tas, blita, lactucas, & huiusmodi nusquam non nascentia tacere
 poteris: quamuis malo communia etiam à te nominari pluri
 ma, quàm vel vnum rariuscuium præteriri. Testimonia tui pro
 fectus, quę ad D. Bullingerum misisti, summopere nobis placent.
 Vale. Tiguri 27. die Octobris.

CONRADVS GESNERVS CASPARO
Vuolphio Tigurino, Monfpelij agenti.

ACcepi binas literas tuas, optime Vuolphi, alteras Ianuario,
 alteras Februario nuper datas: quibus cum etiã semina mul
 ta misisti: pro quibus maximas tibi gratias habeo. mandauit terrę
 diligenter, vt si fieri possit, adolescãt. Cum ad nos Deo duce redie
 ris, quicquid prouenerit, tecum cōmune habebō. Inrerim vt tempe
 stiuè alia etiam, si quę rariuscula occurrerit, colligas, obsecro per

occasiones. institutum enim meū plantarum historiā persequendū
 nondum deposui: vbi primū Historia aquatiliū, quæ iam men-
 ses aliquot sub prælo est, absoluta fuerit. Ad D. Franciscum Fonta-
 nonum secundo nunc scribo: cui tu me vt cōmendare pergas obse-
 cro: vt ea quæ suis literis mihi promisit, maturius præferat, hoc est,
 antequam tu fortè inde recedas. Lugdunū mittantur ad Ant. Gry-
 phium amicum meum, qui omnia diligēter curabit. Petij à D. Fon-
 tanono semina rutæ capraræ, quæ tamē nunc cogito fortè abs te
 missa esse, sed polemonia nomine. Petij & Casia cuiusdam, vt
 vulgò apud nos nominant, semina. Oribasij opera apud nos non
 sunt: & quamuis essent, Xenocratem Græcū habere malletm. Qua-
 mobrem iterum te rogo, vt mihi transcribas. pauca enim folia esse
 puto. Si quid in pictores mea gratia D. Fontanonus expenderit,
 tu quæso mox restitue, in me quoq; non erit mora, quin mox tibi
 reddam. Monebis igitur eum, vt sumptū à te accipiat, si quid opus
 erit: nempe pro pingēdis rarioribus herbis, quæ in vulgatis libris
 non habentur. quanquam non multum refert, si etiam per impru-
 dentiam fortè ex euulgatis quædam pingantur. Tu quoq; aliquem
 ea in re laborem quæso subeas, & vt mihi gratificeris, & simul te-
 ipsum in hoc argumento exerceas. Per gratum fuit quod indicasti,
 vt à fratre tuo, si velim, accipiam Commentarios ex ore Montani
 in Galenum de simplicibus à te perscriptos. quanquam spero me-
 reditum tuum expectaturum priusquam accipiam, nisi ultra spem
 differatur. Audio apud vos inueniri, in prouincia vel languedoc,
 nec dubito quin etiam circa Monspelium, lacerti vel stellionis vel
 salamandræ genus, vulgò dictum, *ou blandein*, fortè à blando len-
 toq; incessu, valdè venenatum, dorso medio veluti stellis pictura-
 tum, per latera nigricare, in medio dorso minij colore esse, in ven-
 tre fuscum. Tu quæso inquire diligenter, & si quis apud vos librū
 meum de quadrupedibus ouiparis habuerit, cum salamandræ histo-
 ria confer: quod si specie & coloribus à nostra salamandra diffi-
 det, fac eam mihi cum suis coloribus depingi. Item si qui serpentes
 apud vos reperiuntur. apud nos enim pauca omnino serpentium
 genera sunt. calidis & maritimis locis varia inueniri non dubito.
 Inquire saltem de nominibus, formis, & vi seu veneno singulorum
 quantulumcūque. Multa tibi committo, mi Vuolphi, sed quæ aliud
 agendo & inter ambulationes animi gratia susceptas, & in itine-
 re aliquo instituto, & in conuiujs & familiaribus colloquijs con-
 fici poterunt, atq; ea omnia vnus cuiusq; studiosi hominis, præter
 sim medici cognitione non indigna. Vale. Tiguri. Postridie pas-
 chatis. Anno 1557.

CONRADVS GESNERVS CASPARO

Wolphio medico Tigurino.

Iacobus Cellarius concionator in pago Pfungen his diebus huc venit balneaturus, cum iamdiu quartana laborasset, deinde cachexia, icteri & hydropis initio, & splenis duritie, ni fallor. Vno atque altero die balneo vsus, deterius habuit: me adiuit. Consului vt domum rediret, & medicorum consilij vteretur. Hodie igitur domum redire cogitat. me autem rogauit vt ad te scriberem, suoque nomine rogarem summopere, vt proximo die Martis ipsum in Pfungen inuiseres, ac tecum aliqua remedia adferres. Aluo est astricta; nuper etiam vrina sistebatur. Tussit quoque & spirat diffusculter. Omnino grauis, & de quo non bene spero, morbus est. Oro tamen, vt bono viro morem geras, &c. Satis est iuuenis, & forte melius eueniet quam ego augurer. Ego Dei gratia meliusculè habeo, sentio tamen ischiadis meæ adhuc vestigia: quæ & ipsa abolitum iri spero si Deus voluerit. Reuertar ad vos his diebus. Vale. Badæ Calend. Septemb. 1560.

CONRADVS GESNERVS GEORGIO

Cellario Tigurino Parisijs agenti.

Accepi nuper literas tuas, optime Georgi, vnâ cum Aræto medico Græco, pro quo ad me misso in præsentia maximas tibi gratias habeo; rependam autem cum ad nos redieris. Pecunia quam frater meus tibi commodato dederat, iam restituta illi est, vt Dominus Gualtherus ad te perscribet: ex cuius literis etiam intelliges tristissimum tibi casum, quem vt æquo & Christiano animo feras, quoniam is vobis omnibus semel expectandus est, vehementer te hortor. Sic enim res nostræ mortales comparatæ sunt, et ea conditione nati sumus: neque est sapientis dicere non putabam. Nihil tam triste aut tam graue esse debet, quod hominibus accidere potest, ad quod non tum in nobis, tum in parentibus & amicis ferendum, semper parati & pia præmeditatione instructi esse debeamus. Voluit Deus Opt. Max. optimum et charissimum patrem tuum nuperrimè iliaco morbo repente implicitum, ex hac mortali vita discedere: quem tu illius obitum, si sancta pietas vitæ tuæ institutione, & ad eundem exitum (quandocunq; imperatori omnium placuerit) præparatione, magis quam lachrymis & nimio luctu prosequare, facies vt hominem sapientem & Christianum

Decet. Est quidem hæc naturæ vis, vt *supra* illas *quasdam* & natura-
 les animi impetus in tantis casibus coërcere nequeamus. adhiben-
 da est tamen moderatio. Nam in rerum natura, illarum etiam quæ
 per se laudantur, si modus absit, vitium est virtute fit. Dolendum est
 itaq; iubente natura, sed non immodicè, ne videamur *ουμαχῆν*, &
 Dei voluntati non acquiescere. Sis igitur mi Georgi animo forti,
 & verbi diuini solatia animo ægro adhibe. Ostende quanto mo-
 deratus Christiana pietate & lenitate animi sapienter imbutus
 homo, humanos perferre casus, & spiritus sancti auxilio superare
 possit, quàm alij pleriq; pietatis & spei de promissionibus diui-
 nis concipiendæ expertes homines. cogita patrem nobis superes-
 se, qui verè pater & tutor & seruator omnium se inuocantium est.
 Hoc fauente nullum tam exiguum patrimonium est, quod non in-
 numeris etiam liberis honestissimè educandis sufficiat. Hæc & a-
 lia plura etsi tu per te satis intelligas, quoniam tamen in tanto lu-
 ctu positi, apud se non sunt, volui aliquo modo te consolari. Quod
 me quidem attinet, quicquid in gratiam & vtilitatem ac honorem
 tui tuorumq; efficere potero, nihil reliqui faciam. percipio enim
 te & Vuolphium nostrum (quem officiosè ex me salutaris) & citò
 & plurimum in re medica proficere, & me etiam vincere, quod
 non magno labore efficiatis: vt patris nostræ breui & viles & or-
 namento sitis. Pergetis igitur in studijs vestris, vt cœpistis: pro
 Aristophanis quidem poëtæ fabulis, aut quauis alia Græca lectio-
 ne, suaderem Græcum aliquid de Aristotelis physiologia (non ta-
 men de octo physicorum libris, qui nimis subtiles & prolixi sunt)
 vos audire. Vellem vos aliquod specimen profectus vestri huc
 mittere: vt propositiones aliquas disputabiles explicatas aliqua
 methodo, sed breuiter, & vnus etiam aut alterius viri docti de
 studijs ac diligentia vestra testimonium, idq; in vestram solùm gra-
 tiam, vt hac occasione & his demonstratis, vos laudare, & qui in
 vos conferuntur sumptus, non frustra conferri asserere possemus
 apud illos, qui ex senatu causæ vestræ cognoscendæ destinari sunt.
 Vale. Tiguri 1554. sexto Martij.

ΚΟΡΡΑΔΟΣ ΓΕΣΝΗΡΟΣ ΜΑΤΘΙΑ

πρὸς Ἀρχιπρωτὸν ἑὸν ᾠράττειν.

Ὁ θεός μοι ἐπιθάλω ὀφείλει, ὅτι ἐδυσκολώ παρὰ σὲ
 κομισάμενος, μέλει τέτι ἐδὲν πο ἀντιπέσαλκε. ἀι-
 πια

ἦμαί ᾗ μοι πολλὰ τ' ἀναβολῆς ταύτης. ὡρῶτη μὲν, ὅτι τῆ ἐλ-
 λωσι γράφειν πάνυ ἀπειρὸς τε καὶ ἀήθης τυγχάνω: δευτέρω
 ᾗ, ἀχολίαί μ' ἄλλαί τε πολλαί, πλείεσται ᾗ καὶ ἀνυπερβλητοὶ ὡρεῖ
 τὰς τυπογράφους, καὶ τὴν καθημέραν ἐμὴν φυσικῆς περὶ
 ματείας ἐξήγησιν. Ξίτη, ἢ τῆν γεαμματῶφρον ἀπάνις. τελευ-
 ταία ᾗ, ἢ φιλιανθεροπία καὶ εὐνοία σου. ἤπισται γὰρ δυσκόλως ἔ-
 χαλεπῶς σε ὀισειν ἢ γέμω ἔ τοι βραδ εἶαν δπόκρεισιν ὡρεθ
 τὴν ὅπισολὴν σου: ἢς φιλικὴ μόνον καὶ ἀσασικὴ, ὡς ἔπος εἰ-
 πείν, ἢ ὑπόδοις ἔστα, δπόκρείσεως μηδεμιᾶς ἢ νὴ δια εἰ τα-
 χείας δεομένη ἐφαίνετο. Νυνὶ δὲ που γεαμματῶφρου τυχῶν
 ἀσφαλῆς καὶ εὐκαίερον, βραδέως μᾶλλον καὶ ὅπως δήποτε ἀ-
 μύσως ἀντιγράφαι εἰλόμην, ἢ παντάπασι ὀλιγωρεῖν. Σὺ μὲν
 ἐν ἀττικῶς πάνυ τὰ σα γράμματα δέδου: ἐγὼ ᾗ ἀντοχεδὸν
 ζωτά δε, καὶ τοι ἐδίε περὶ ἀρέμνῳ εὐρυθυότερα γράφειν ἔ
 ῤητροβειν ἢ δωάμην ἀν, ὁ μὲν ἐν ταῖς τῆν φιλοσόφων καὶ ἰα-
 ξῶν ἀναγνώσει γενόμενῳ ἀπάνιῳ, ἀπανιῶτάτῳ ᾗ ἐν ταῖς
 τῆν ῤητόρων καὶ ἰσορμῶν. εἰ θαυμάσεις τοιγαρῶν ἀεῖσε Ματ-
 θία, εἰ περὶ βιβλικῶς ἢ δὴ τῆ ἡλικία, ἔ ὀλλωχεδὸν ἀντιὸν πε-
 ρὶ τὰς ῤωμαίων τε καὶ ἐλλωσι βίβλους ἀνθλωκῶς, δεξιόπτης
 ἐν τοῖς λόγοις εἰδεμίαν ὡρεφαίνω. δευτέρω μοι, ὀμαι, ἢ Ξί-
 τη ὡς ὅτι πλείεσιν, ἢ ὅπισολὴ αὐτῆ δὲ εἰς ἐλλωσικῶς σωτίτα γ
 μὲν. ἐδίε γὰρ ἐγὼ πνα ἄλλον ἔποτε ὡρεχαλεσιάμην, ἐδίε με
 ἄλλῳ πλὴν Ἐρρίκου Στεφάνου τῆ βασιλικῆ ἐν Λαυκεπίοις τυ-
 πογράφου ὑἱῆ, καὶ σὲ ἢ δὴ δευτέρω. εἰκὸς ἐν σε μᾶλλον τοῖς ὑπ'
 ἐμῆ ἡῤητημῶσι συγγνώμην νέμειν, ἵνα καὶ σε λέγω, ἢ τοιῶ-
 τόν τι παρ' ἐμῆ ὡρεσδοκῶν. ἔ ταύτη μὲν φροσμίαν ἄλις: κα-
 ρὸς δὲ ἢ δὴ ὡρε τῆν παρ' ἡμῶν ὡράξωι τι γράφειν: ἔχω δὲ
 καινὸν ἐδίε, ὁ μὴ πολὺ ὡρετέρον ἐκεῖ παρ' ὑμῶν ἢ ἐν ταῦτα
 δημοσιόεσται ἀν δοκοίη. ὀ ἀντοκρέτωρ γὰρ μέγχι τῆδε ἀεί
 πάνυ που φιλιανθερον καὶ εὐνεν ἑαυτὸν παρέχῃ, εἰ ὡρε δὴ,
 εἰ ἄλλως πως, ὁ χροῖνῳ δπόδ εἴξει. ὡσε ἐδίε ἐν ταῦτα νεω-
 τερέξεται, ἀλλὰ πάντα ἡρεμεῖ ἔ χαθίσαται, τῆς φιλικῆς ἡμῶν.

EPIST. CONRADI GESNERI

μνηστῆρας ἐχομεν πάπαντε καὶ τὸν φεάγκων βαπλέα, ἴσως
 ὅτι καὶ αὐτοὶ ἐλαβένται τὸν τῆς Γερμανίας νικητῶ. Ἐρρώσο,
 καὶ πολλάκις πρὸ ἰδίων τε καὶ κοινῶν παραγμάτων ἡμῶν ὅτι
 σέλλειν χαίρου. Ἐν Τυβύρω.

CONRADVS GESNERVS GVILHELMO
Stuckio Patricio Tigurino, nunc Tubingæ.

NE Pistorius sine meis literis ad vos rediret, subito hæc scripsi. Rerum nostrarum statum ab ipso audies. Tu peste hic grassante Deum pro nobis orabis. D. D. Gableri aduentum expectatissimum, non amplius expecto hoc tempore, nihil enim nisi tristitia omnia apud nos inueniret. Cingor undique vicinia peste infecta: & ex officio ægrotantes, à quibus accersor, adeo. Si quid ad præferuandum aut curandum haud vulgare habet, roga quam primum communicet. quod si fecerit, ego vicissim nostras aliquas obseruationes circa hanc luem, si vixero, proximè scribam. Nunc plura non licuit. Pro disputatione de originali peccato quam misisti, gratias ago. ego vicissim quod mittam nunc non habeo. Vale Tiguri. 1564. Octob. die 2.

CONRADVS GESNERVS GVILHELMO
Stuckio Tigurino.

RECTè te Lutetiam peruenisse, & Academiam illam florentem reperisse, charissime Stucki, gaudeo & tibi gratulor. Periuicundæ quidem mihi literæ tuæ fuerunt, ex quibus totius Academicæ statum, & alia quædam, libentissimè intellexi, proq; ijs maximas tibi gratias habeo. Commendo autem tibi hunc iuuenem Geneuensem: bonum sanè & eruditum, qui D. Simlero nostro aliquandiu contubernalis fuit. is pro viua epistola tibi erit. Ignosce breuitati hominis occupatissimi. innumeras nunc literas in diuersas regiones scribo propter mercatum Franckfordiensem. Doctissimo viro D. Ferrerio Pedemontano multam salutem ex me dices: & expectare iubebis libellos à me nuper editos de metallis & lapidibus. Eosdem & doctissimo Ramo mittam, etsi ab ipso missa physica nondum accepi, addam ad vrung; epistolum, interim eis officiosè me commendato: sicut & D. Lastrio contubernali tuo,

ruo, viro optimo & mihi meritò charissimo. Pro missis ad me indicibus typographicis, & catalogis quibus doctissimorum viro-
rum lucubrationes enumerantur, plurimum tibi debeo, & rogo,
vt in posterum etiam similiter mei memineras. Vale. Tiguri. 1565.
Augusti die 29.

CONRADVS GESNERVS CONRADO

*Forero Doctori medico, & ecclesie
ministro Vitoduri.*

Melancholici vrinā vidi, mi D. Forere, ex qua tamē parū iudi-
care potuissē, nisi tu rem indicassēs. quā cognita, apparet
vrinā etiam attestante, non alium humorem quā atræ bilis in eo
abundare. qui sanè purgandus est ante autumnum, & rursus au-
tumno (si fuerit opus,) semel aut iterum, crassior enim in viris hic
humor est quā in mulieribus. Sed suadeo dum feruor canicularium
durat, differri fortiora remedia: & vti eum bona victus ratione,
bisq; aut ter balneo aquæ dulcis (à quo per horam minimum in-
lecto quiescat,) donec dies aliquis humidior & minus calidus in-
cidat, quo incipiat vti portione quā præscripsi, eaq; vtatur quin-
quies diebus continuis si bene ferat, mane circa quintam, calida,
inde os frigida abluat, inambulet; & tabellam vnā compositio-
nis quā Manus Christi vocant, sumat. Decima demū prandeat.
Vesperti tertia eiusdem compositionis tabellam vnā aut alteram
sumat: Si videbitur, die tertio vel quarto portione abstineat, vt in-
ter quiescat: tum repetat. Ea consumpta pilulas dabis, tres ve-
sperti dormituro: reliquas nouem postridie antelucano, vt vnā
alteramq; horam superdormiat: & cum surrexerit, ius cicerum
bibat ad 3. forrē viij. cum sale & croco pauculis admixtis. Si bene
purgabitur, vt spero, bene est. Sin minus, postridie olusculum in
ientaculo dabis è bera, cui mixtæ sint passulæ, piperis & sapæ vini-
ue modicum, & foliorum Senæ Alex. ablutorum 3. f. aut 3. ij. sub
finem coctionis adiecta. Post purgationem, si quid reliquum est
de Manibus Christi, absumat biduo. Inde Confectione de karabe
vtatur: mane semper tres tabellas deuorando, vel 3. ij. potius, &
rursus bis tæruē lauacro aquæ dulcis, si videbitur, lauet. Post men-
sem, si videbitur, grana v. stibij præp. dabimus. Vino pauco al-
bo & vetere vtatur. Facito ei spem optimam: præcibus publicis
eum commendato: ad pietatem simul & hilaritatem honestam
hortator. Remedia hic subiiciam, quibus vtatur, vti præscriptū est.

Atibij

EPIST. CONRADI GESNERI

℞. Oxymelitis nostri minor. ℥. s. maioris ℥. j. sape ℥. ij. aque cino namomi ℥. ij. aquæ melissæ, fœnic. cerefolij, ana ℥. j. s. Miscæ, fiat potus.

℞. Pilul. aggregat. ℥. ij. ellebori nigri præpar. ℥. j. lapid. lazuli præp. ℥. s. Miscæ, fiant pilulæ xij. cum syrup. de storachade.

℞. Confect. de kârabe ℥. j. s.

℞. Manus Christi cum perlis ℥. j.

CONRADVS GESNERVS CONRADO

Forero Vitodurano.

MUltum laboravi in tuis legendis D. Forere, difficilis enim lectu tua manus est, difficultatem auxit penna aliena & festinatio. De Lanio teipsum deliberare & statuere velim: quoniam tu semper præsens es et vides mutationes. hoc tempus remedijs ineptum est. Aërem frigidum omnino vitare debuerat. in templo quidem etiam magis nocere putatur frigus propter quietem: & magis etiam melancholicis, quibus & epileptici adnumerantur. imaginantur enim illi sibi, & metuunt. imaginatio autem (aiunt) casum facit. Præcipias tamen ut omnino domi se contineat in hypocausto dies noctesque: & in eo mane ac vesperti fumus fiat cum baccis & ligno iuniperi arido: & sæpe ligni eiusdem particula accensa & ardente hypocaustum lustretur, aliquando etiam thure & kârabe. Synciput, tempora, nares, palatum, ceruix & spina dorsii, oleo aliquo calfactorio perungantur, destillato, ut penetret, aëtu etiam bene calido, ut oleo de ligno iuniperi, vel petroleo, alioue. Eiusdem olei guttæ ij. aut tres quotidie mane auribus instillentur. Linteolum repletur puluere aliquo crasso ex odoratis & siccantibus cerebrum, ut maiorana, nigella, iride, origani et serpylli floribus, cum caryophyllis, &c. atque id calidissimum subinde naribus admoueat olfaciendo. Frictionibus mane & sesquihora ante cenam utatur, siue vngatur postea siue non. Mitto diacalamenti ℥. j. s. ut mane inde accipiat iij. aut iiij tabellas quotidie. & aquæ floræ tilis, ut noster pharmacopola habet, ℥. v. utatur pro tuo arbitrio: ego cinnamomum, gentianam & angelicam imposuisssem, parum enim per se efficax mihi videtur in viris: in pueris magis commendatur. utatur etiam tertio quoque die ℥. j. de electuario quod mitto. De oleo, quod mitto, (est autem de spica & larignæ permixtū,) guttas circiter vij. accipiat, aliquando vesperi, tribus ante cenam horis, & cochleario aquæ calidæ in qua bullierit rapa: aliàs mane, &c.

ne, & superedat aliquid sacchari, vel diacalamenti: siue quotidie, siue tertio quoq; prout tibi videbitur. Pharmacia quidem purgantibus hoc tempore non videtur vtendum. Tempore veris, si placebit, dictabo emplastrum, quod impositum syncipiti, multos humores, vt spero extrahet. Oleum sulfuris etiam, si experiri volet, quod nullo periculo faciet, mittam aliās. Thermas bibendas vere consulam. Quod ad fratris vxorem, vrina satis bona videtur, colore & contentis: tenuior tamē est, propter humores nimirum aliquos obstructos. Et quoniam hoc tempus non conuenit purgationi, victus ratio instituitur. Vinū diluatur semper, si tibi videbitur, cum decocto baccarum iuniperi: & si dolores instent, decoctum id solum bibat, vino abstineat. reliquus victus, talis ferē sit, qualis perperarum. Parum omnino bibat. Cœna parcissima, bis die tantum edat. Manus ne lauet, nisi decocto camomillæ, meliloti, sulfuris & radicum berę calido. Aërem viter. Vnguento quod ordinaui, (ex olei de terebinthina ꝑ. j. f. & olei de castoreo vnguento dialthææ ana ꝑ. ij. f. mixtis) calido inungat nucham dorſi mane quotidie, calidē: & manus quoq; item ante cœnam & sub somnum, sed manus tantū. Chirothecas pelliceas semper gestet, vel lineas propter vngentū: & pelliceas super inducat. Vnguento aliquando addat aquam vitæ optimam. potest autem accendere aquam vitæ, & manus super eo igniculo calefacere, tum vnguentū addere, inungere. sæpe etiam suffire baccis iuniperi cum aliqua resina, & chirothecas etiam ita suffiras induere. lineas quidem noctu etiā. Confectionis de karabe parum sumat mane quotidie: quę si illi displicet, lanio dare poteris. Fricentur etiam membra mane linteis calidis. Pluribus non licuit. Vale. Tiguri. T.C.G.

CONRADVS GESNERVS CONRADO

Forrero Vitodurano.

FRater redditis literis statim discessit, & nullam de se mentionem fecit: nec ego amplius meminerā. Placet consilium tuum, vt manus nunquam aqua cruda madefaciat aut lauet, sed tantum decocto aliquo, vt sunt cortices raporum, & herbæ odoratæ quælibet, salvia, lauendula, spica, & arthriticæ dictæ, primuleq; veris. Die schlüsselblümle/müleblümle/mit frut/wurtzen vñ blümle/sale etiam interdum adiecto & sulfure. Deinde illinat paucō oleo rutaceo, quod tu ipse parare poteris, vt rutam & astrantiam trita in oleo cum paucō vino coquas: licebit & ceræ resinæq; modicum addere, cum petroleo paucō admisto & de terebinthina: quæ

apud pharmacopolam nostrum inuenies. Iisdem & nuchâ dorſi superior & spondyli colli illini poterunt calidè. Simili oleo, odoratiore tamen, oleo de spico addito, chirothecæ eius intrinsecus madescant parum. Manuum exercitio leui aliquo subinde vtatur. D. Ambrosio Blauro, viro incomparabili, multam ex me salutem dicito. Consulo, si videbitur, vt primum purgetur, nempe oxy melitis mei minoris ʒ. iij. vt capiat mane cum paucò defruto & saluix decocto pauculo: idq; ter repetat, mane tantum, per triduum, deinde purgetur cum decocto prunorum, & polypodij, paucò cinnamomo, aniso, passulis & saccharo additis: colaturæ adhuc calenti folia senæ iniiciantur, & bene tecta stent per horas aliquot vel per noctem. hinc bibat, mane ad iij. vncias, item vesperi hora tertia, donec satis purgatus fuerit. Dieta sit tenuior, boni succi, ad ficcum declinans, non autem ad calidum sed temperatum. Frigus omne vitet. Noctu in lecto pedibus applicet sacculum arena calente plenum. Motu & ambulatione temperet, & pedes non pendulos habeat. Post purgationem pedes mane præsertim, per horam aut amplius teneat in decocto calido arthriticarum & primularum veris, (vnd hartz darby in eim sâckle Bunden) postea unguento aliquo facto cum axungia, in qua ad ignem dissolutum & colatum sit sulfur, deinde aliquid perolei, resinæ & ceræ additum. Vale. Tiguri 5. Martij. 1563.

CONRADVS GESNERVS CONRADO

Forero Vitodirano.

TVa plerunq; scripta (doctissime Forere) propter abbreviationes & literas implexas intricatasq; vix lego. Mulieris, qua de scribis, afflictissimæ vices doleo. Deus Opt. Max. eam restituat, & conatus nostros & remedia benedicat. Melancholicam esse non est dubium. ex vrina certi nihil ferè dicere possum: nisi quòd cum ea phlegmatica videatur, non feruidam & furibundam melancholiam esse apparet. quæ causa fortè est quòd tam multis annis durauerit. Tu eam pro tua prudentia & pietate solator, & bonam spem facito, tum per te, tum ex mea quoque prædictione, eam proculdubio (Deo iuuante) breui melius habituram. oportet enim omnino melancholicis hominibus spem optimam velutiq; certam proponere, interim etiam precibus publicis pro ea intercedi curabis, & vt in ijs etiam spem ac fiduciam maximam reponat, iubebis. Memini sanè multis fœminis melancholicos affectus in puero

in puerperio abortos, tum enim massa sanguinis (vt ita dicam) per turbatur, & ab utero vapores feruntur ad superiora maligni interdum. Quò lōgius autē à puerperio tempus procedit, eò leuius fore malū, sperandum est, præsertim verno tempore appropinquante. Cōsulo autem vt si lactat, lactare desinat, nam & matri hoc melius erit, & infanti: qui ad aliquod tempus alteri nutrici committi poterit. Remedia præscripsi, primū potionem cum oxymelite maiori meo, &c. quam partietur in haustus 4. vel 5. ita vt mane semel quotidie bibat haustum vnum paruum, & postea ore abluto aromatici rosati paucillum sumat. Hoc materiam peccantem partim præparabit, partim vacuabit, sensim. Interim imperandum, cibis optimis & vino veteri optimo, sed pauco utatur: croci parum iusculis misceatur. Postea sumet pilulas: primū tres sub introitum lecti: deinde summo mane sequente reliquas septem, & superdormiat (si potest) vnam aut alteram horam. tum ius cicerum bibet. Post hæc si melius habuerit, vt spero, Deo gratias agemus: sin minus, mittam antimoniij præparati grana iiii. conseruat rosarum mixta. qua dosi etiam olim in melancholia vsus sum cum successu. Sed à prioribus remedijs per dies octo saltem, expectet, opus est. Vale in Domino. Ianuarij die 5. Anno 1565.

CONRADVS GESNERVS CONRADO

Forero Vitodurano.

VRina ægræ mulieris phlegmatica est, & pro hypostasi nebulam habet, ex qua thoracem affectum iudico, vnde nimirum dispncæ illa prouenit. Nec dubito à capite etiam catarrhos in pulmonē descendere: & aliquam lienis flatuosam obstructionem. Et quamuis hoc anni tempus declinans, hæc mala fouet potius, quàm discutiatur, occurrendum est tamen. Tu victus rationem præscribe, parcum in cœna præsertim, & tenuem, id est, quantitate & qualitate conuenientem. crassis & crudis & flatuosis halituosisq; omnibus abstineat. Cœna perparca, interdum nulla sit: eo die ientare potest, prandium differre. Minus laboret, vt victum tenuior ferat, quo planè opus est. Animo sit hilari: curas & molestiam omnem fugiat. Balnea viter: & aerem tum nimis calidum, tum frigidū, ventosum, pluuiem. Sed hæc tu rectè institues. Vinum bibat quod diluat aqua cocta aliqua vel chalybeata: vel mellita parum coctaq; in fictili & despumata. Noua vina & rubra fugiat. Lactarijs omnibus abstineat, & falsis etiam vt minus bibat: pisci-

EPIST. CONRADI GESNERI

bus rarissimè vtatur: iure ipsorum abstineat. Pyra prorsus omit-
tat: poma non nisi dulcia & cocta edat interdum. Quod ad re-
media, præscripsi.

1. Potum: quo vtatur statim (si menses eius non impediant) per
tres dies continuos, mane, calido: sumat paulò post vnam aut al-
terum tabellam diairis. ieiunet horis quatuor aut quinq.

2. Pilulas: è quibus tres sumat tertio die vesperi dormitura,
cum pauculo rob. de cerasis calido: & postridie mane summo, cir-
ca tertiam fortè, reliquas nouem, rursus quiescat per duas horas.
Surgat cum dies apparet: bibat ius cicerum modicè falsum.

3. Postea, vnguento quod nisi futura coronalis illinatur mane
calido: & quantum est auellanæ dimidium de eodem prunæ im-
ponatur, vt fumum excipiat per emborum: si bene fert, paulatim
plus ponatur. Cura ei fieri pileum nocturnum, quem etiam mane
ferat vsque ad nonam, infarium stœchade, maiorana, rosmarino,
lauendula, origano, caryophyllis, iride, interpastatum. Thermo-
rum potū liberaliorem ei consuluissem. sed poterit differre ad fu-
turi anni mensem Maium spero. Remedia præscripta, sunt quæ
hic subijcio.

R̄. Oxymelitis nostri vtriusq; an. ʒ. v. syrup. de stœchade, de ca-
limento, ana. ʒ. vj. De liquiritia ʒ. i. sapæ ʒ. ij. Aquarum calidæ mi-
noris nostræ, cardui benedicti, hyssopi, ana. ʒ. ij. Misce. si. potus.

R̄. Diairis Salom. ʒ. j.

R̄. Pilul. de agarico, ʒ. j. Ellebori nigri. præp. gr. vij. Diagridij
grana. v. Euphorbij gra. iij. Misce. si. pilulæ xij. cum syrupo de li-
monibus. asperge liquirita.

R̄. Sandarachæ seu vernicis, Carabe præp. thuris caryophyl-
lorum ana. ʒ. j. Styracis liquidæ, petrolei citrini, ana. ʒ. j. vel q. s.
Misce. si. quasi vngentum. Vale. Tiguri 1565. Augusti. vltimâ.

CONRADVS GESNERVS CONRADO

Forero Vitodurano Theologo & medico.

QVæ de epileptico lanio scribis, ita me deterrent, vt morbū
incurabilem existimem, doctissime Forere: metum hunc
etiam vrina inspecta auxit, crasso & viscoso sedimento
plena: accedit absentia ægri, & tempus hoc anni: & ætas ipsius æ-
groti, & quàm morigerum ad remedia victusq; rationem ad lon-
gum tempus obseruandam, se præbere veller, incertum. Ne tamen
nihil consulam, præsertim te hortatore: victus rationem tibi præ-
scribendam reiinquo, mihi iam festinanti nō vacat. In genere qui-
dem

dem boni succi victus esto, & facilis concoctionis, & paucus, ad calidum & siccū declinans: cōna parcissima. Vino abstineat prorsus: bibat autem decoctum cinnamomi, hyssopi, baccarū iuniperi, saluix, mastiches, vnius scilicet horum, aut plurium ex aqua, in olla fistili cum saccharo aut melle, aut absq̄ ijs. Pro remedio vtatur oxymelite meo, &c. vt videbis in recepta: quotidie accipiat ℥. s. mane, & si bene fert, etiam paulo plus, paulatim vsq̄ ad ℥. j. calidum, & mox ore abluto & gargarizato decocto hyssopi calido, esdat tabulam vnam vel duas cōfectionis diacalamenti vel alterius suauioris, & super ieiunet horis quatuor. Hoc remedio consumpto vtatur pilulis, nempe quinq; in introitu lecti: reliquis septem postridie summo mane: & superdormiat ad duas horas, cum surgit bibat decoctum cicerum cum hyssopo sine sale & buryro. Postea caput inungatur circa suturam coronalem: item nares & tempora oleo illo, quod præscripsi, bene calido: & gutta vna aut altera auribus instilletur. Poterunt tum & sternutationes fieri, & venæ sub lingua incidī post gargarizationes calidas: & sudores moueri: & electuarium parari cum castoreo, angelica, ruta, sinapi, & craneo humano. Postremo & oleum sulfuris quod habeo dari: Sed his remedijs cōsumptis admonebis me, & consilium tuum quoq; adde, & epistolam hanc cum scheda receptæ ad me remittes. Vale. Tiguri. Remedia præscripta hac forma fuerunt.

℞. oxymelitis nostri maioris, minoris, scillitici ana. ℥. s. aquæ cinnamomi ℥. s. aquæ calidæ maioris nostræ, hyssopi ana. ℥. iij. misce, fiat potus. Plurimū hoc laudauit, peruasit omnes venas corporis, etiam capitis. ℞. diacalamenti ℥. j.

℞. pilularum cochiarum, scetidarum ana. scrupulos duos. elebori nigri præparati grana quinq; misce, fiant pilulæ duodecim cum oxymelite scillitici, asperge liquiritia. Post has pilulas videtur in capite peius habuisse, fortē quod gummī non sint boni.

℞. terebinthinx destillatæ, balsami destillati, olei de lateribus, ana. drachmas tres, misce.

CONRADVS GESNERVS SAMVENSIS

*li: Kessleri verbi diuini in agro Vno-
durano ministro.*

Cephalæam seu Hemicraniam tuam, spero accessu veris mitigatum, & paulo post sublaturū iri, præsertim si circa mediū Marij validiore aliquo purgante medicamento vtaris. Quod si

ad ætatem vsque Deus vitam dederit, consulam vt tunc vel in Thermis Badensibus nostris pro capite stillicidium (vt vocant) excipias, vel domi pares. In præsentia mitto pilularum mastichinarum drachmam vnam, ex qua fiant pilulæ 14. cum syrupo de stœchade pro duabus vicibus. earum dimidiū capere potes nunc statim, & si nihil te moueāt, sequenti die etiam reliquas. sin minus ad 4. aut 5. dies differ reliquas. Leues sunt, & perparum euacuant; caput tamen roborāt, &c. Interea etiam oleo vti poteris, vt prius, illo de euphorbio. Ordinavi & aliud olei genus odoratum, cuius guttas duas vel tres calefactas (in cochleari de aurichalco id com modē fieret) instillabit tibi vxor in aurem lateris affecti, cum primū fueris ingressus lectum: dein xylinae lanæ parum accipias, qua cochleare abstergas, & in auris foramen inseras, & eodem tempore cum modico eiusdem olei calido, tempera perfricabis, & futurā sincipitis in capite, (ita vt soles cum oleo de euphorbio) & nares quoq; intrinsecus cum pennula, aliās per se, aliās admixto pauco puluere maioranæ. Olei descriptio hæc est.

Recipe oleorum nardini, rutacei ana drachmas sex, caryophyllorum, nucis moschatae ana drachmam vnam, iridis florentinae, nigellæ ana scrupulum vnum, bulliant modicē & exprimantur fortiter. Præterea mitto mastiches dictæ drachmas duas: cuius pauca grana dentibus aliquandiu mandas expuendo semper pituitam quæ extrahitur, donec mandendo parum delasseris: tum paulo post similiter mandes (hinc inde volutando in ore) puluerem illum crassum, quem mitto, & semper expues pituitam. Mastichen autem & puluerem noli deglutire. Puluis calidus quidē & ingratus est, sed salubris: poteris s; postea ore tenere & gargarizare aquam calidam cum pauco melle & aliquot saluæ folijs coctam. Puluis hic est.

℞. pyrethri, staphisagriae, ana. drachmam vnam, ellebori nigri drachmam semis, misce, fiat puluis satis crassus. Vbi malum nõ cesserit, accerse pharmacopolio confectionem de Carabe, capias eius mane tabellam vnam aut duas. His vale.

CONRADVS GESNERVS SAMVENSIS

li Kessler.

CEphalæa tua diuturna, grauior est, vt video quàm quæ leuibus medicamentis cedit. fuerunt autem quæ ego prescripseram, mediocriter quidē valida, sed quàm morbus tuus requirat, leuiora.

leuiora. neq; enim fortiora à principio, & natura tua nondum explorata, dare audebam. Vrina satis bona est. quoniam, vt tute fateris, solum caput ægrotat. iecur tamen nonnihil iusto calidius indicat colore suo flauiore: vnde forsan dextra capitis parte plus doloris percipis. Causam esse puto phlegma obstructum in cerebro, quod cum incalescit & aliquid bilis accedit, aucta materia & vaporibus dolorem facit, donec vapores illi disutiatur: id quod hyberno tempore tardius contingit. Et quoniam nunc per brumã non facile cedunt hi morbi, neq; validiora remedia nunc satis proficiunt, differendum puto vsque ad tempus vernum: interea tamen vt morbus saltem mitigetur, & corpus ad fortiora medicamenta, si opus fuerit, præparetur, operam dabimus. Primum autem consulo, vt venas duas sub lingua aperias. tuta est sectio, & plus phlegmatis quàm sanguinis detrahitur. Sed venit in mentem, crus alterum tibi quondam tumuisse, nec scio an etiam viceratum fuerit. Quod si vlcus fuit, idquẽ sanatum est: fieri potest vt fluxus ad caput conuersus sit. & sic suaderem vt prius in illo crure, ad pollicem pedis, venam secares: & post paucos dies, sub lingua quoque. quanquam licet vlcus non fuerit, nihil obesse potest, si id facias. Vino non vtêris nouo, nec rubro: nec inter prandium & cœnam: & in prandio quidem parcè dilutoq; in cœna, que frugalis esse debet, prorsus abstinere vino te velim: & eius loco bibere aquam aliquam decoctam in olla figlina noua. Si nõ displiceat, bibes decoctum baccarum iuniperi recentium, modicè prius manu compressarum ne sint integræ: aut anisi pauci cum liquiritia saccharõe, aut quoduis aliud. Oleum de Euphorbio dictum vendunt pharmacopolæ: cuius vnciam emere potes: vt hora sequi ante cœnam, cochleare paruum eo plenum calfacias, & illinas tempora, suturam capitis coronalem, nuçham. item mane antequam dolor adueniat, similiter: tunc autem addi potest modicum vini destillati (id est Brañten weyn) præsertim in quo melissa sicca cum maiorana & rosmarino sit macerata. quo vino etiam palatum mane perfricare poteris. Suadeo etiam vt frictionibus vvaris cum linteis calidis toto corpore: mane circiter quintam, aut saltem ante dolorem: & per horam ante cœnam: ita vt pedes primum fricentur (id est, tota crura) deinde dorsum, pectus, brachia, & postremo caput: quod postea etiam aliquandiu pectatur. Aërem, frigus, & conuiuia caueto. Maioranæ puluerem cum quarta parte ellebori albi aliquando naribus attrahito. Hæc ita experiaris, idq; feliciter, opto: & aliquando hanc schedam ad me re-

mitas: saltem sub initium veris, si morbus non remiserit. Vale.
Tiguri, 1562. Ianuarij die 2. Raptim.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

*Iacobo Friso Tigurino, Gene-
ue agenti.*

Reddita est mihi exoptata epistola tua. Gaudeo te apud doctissimū D. Cheualleriū agere, & spero te ex illius doctrina maximum fructum percepturum, non tibi solum vtilem, sed parentibus, patriæ & amicis ornamento futurum: Probo eius consilium, quo suadet vt te totum in linguæ Ebraicæ studijs abdas, propter occasionem tanti viri, que postea forte nunquam tibi dabitur. Sed meminerts interea rationem aliquam valetudinis tibi habendam. Non dubito quin gratum illi sit futurum, si de obscuris quibusdam ac dubijs, frequenter eum interroges, non nimis importunè tamen: & de his ipsis quæ ab eo addidiceris, commentarium aliquem, quem ad nos reuersus nobis ostendas, tibi conficias. sic enim magis hærebunt memoriæ, & diligentiam tuam testaberis. Epistolum Ebraicum aliquod breui à te expecto. Quod D. Cheuallerius putat, vocabula singula linguæ Ebraicæ non commodè posse in locos digeri, in eo illi, huius linguæ phœnici, faciliè concedo & eius consilium per omnia sequi te iubeo. Meam quidem sententiam pluribus huic bono & erudito iuueni, Hortino nomine, qui has tibi reddit, exposui. Scio tibi nondum esse tantam iudicij: vt omnia secundum artes, scientias & philosophiæ diuisionem (quæ magis quàm secundum x. genera dialecticorum mihi probatur) distribuere possis: sed veluti per ludum vellè te materiam duntaxat tibi congereres amplissimam, tum dictionum, tum locutionum, exercitij tui gratia, quam postea progressu ætatis disponeres, & excoleres magis magisque. & quamuis plurima vocabula sint *ωνόμα*, id paucis monere licebit, aut proprias & præcipuas significationes solum vel maximè sequi. Sed & hoc & reliquam omnem studiorum tuorum rationem subijcies consilij D. Cheualerij, quem meo nomine salutabis officiose. Vale. Tiguri, Maij die 14. Anno 1563.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Iacobo Friso Tigurino, Geneuæ agenti.

Epistolam tuam Ebraicam, luculentū profectus tui specimen iam dudum accepi, mi Ioan. Iacobe: & quamuis eam non per omnia

Omnia intelligam, tum imperitia linguæ, tum quòd characteribus istis non sum assuetus, gratissima tamen fuit voluntas tua. & hortor, vt (quemadmodum cœpisti) pergas: in primis verò vt ad parentem tuum etiam breui eadem lingua exaratas literas des: quod ei incundissimum erit. Audere & conari magna oportet, quæ paulatim supra spem & opinionem, Dei auxilio, si pia sit voluntas, facilia euadunt. Velim te exercitia huiusmodi tua seorsim in libello conscribere, & ad ea relegenda per interualla non longa redire, vt tuum ipse profectum tecum perpendas: quod fiet, si aliàs melius aut magis propriè aliquid exprimere poteris quàm antea, & tua ipsemet emendare errata. In præsentia aliud quod ad te scribam non habeo. Parentes tui, familia tora, & amici nostri, Dei gratia, valent. Tu quoque cura vt valeas Tiguri 1563. Augusti die 7.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Iacobo Frisio Tigurino, Geneuæ agenti.

CVM nuper vnà cum parente tuo in Thermis essem, (vbi ego addies non multos, ipse valetudinis suæ causa diutius hæsit) Galli quidam iuuenes literas à te nobis reddiderunt. Et quanquàm ego paulò ante ad te scripseram, & ad Ebraicas tuas respõderam, etsi fortè non vt volebas: neq; enim satis eas intelligo: volui tamè nũc quoq; cõmoditatè hanc Galli iuuenis ad vos proficiscenris nõ negligere. Ergo quod studia tua attinet, mi Io. Iacobe, laudo te totum, omisis ad tempus cæteris, Ebraicæ linguæ deditum esse, & optimi doctissimiq; præceptoris, hac in lingua incomparabilis, ad discendum occasione vti: spero autem neq; illi animũ & benevolentiam erga te, neq; tibi diligentiam defuisse hactenus, aut in posterũ defore. Deus opr. max. studia tua spiritu suo iuuet ac dirigat, vt breui patriæ, parètib; & nobis omnib; gloriæ & vtilitati esse possis. Perge modò vt incœpisti: & clarissimi præceptoris consilijs subinde in omnibus vtete, & de multis subinde obscuris aut dubijs ab ipso inquire, dũ eius tibi occasio & oportunitas datur. Scio te natura modestum & verecundum esse. *αὐτὸς δὲ οὐκ ἀγαθὴν κερμητῆρα ἀνδρῶν παρῆναι.* quamobrem inutili pudore deposito, dũmodo opportunè id facias, multa subinde & assiduè ab eo sciscitari audebis, & à latere eius (docentis præsertim, siue publicè, siue priuatim) nusquam discedes. Ita fiet, vt non tu solũ longè eruditior & veluti phœnix quidã in lingua Ebraica nobis redeas: sed etiam aliqua gloriæ tuæ pars ad præceptorem tuum redeat, veluti ad archetypũ iconis.

Hoc semper memineris, ad quod te hortatus sum ante discessum, vt Ebraicè etiam loqui & scribere coneris : quod nisi feceris, longè minor & vilior profectus tuus erit. Video quàm difficile sit id vel conari, ne dum assequi, sed magnos & honestos conatus, suus semper successus comitatur. Vale in Domino, & me ama. Tiguri.

CONRADVS GESNERVS NICOLAO

*Zerchintæ Bernensis Reipub.
consiliario.*

VTinam corpore ita te sanum esse & valere, optime Nicolae, Deo placeat: sicuti animo valere te, & æternæ doctrinæ sanctitatem amplecti, eidem placuit: sin minus, fiat voluntas eius, cuius nutui, voluntati atque imperio omnia necessariò cedunt, idq; feliciter, quæ volũtaria: infeliciter quæ contra. Suavi quodam dolore pulcherrimum munus tuum; vtiusq; testamenti symbolum, numisma me affecit: nam quod illud velut mnemosynon tui donas meditantis ex hac mortalitate discessum; propter magnum omnino futurum desiderium tui, si contigerit, non potest non summa tristitiæ mihi causa esse. Te enim amantissimum mei; ita in grauissimis casibus fidelissimum sapientissimumq; consultorem, cui me meaq; secreta omnia rectè committerem, summo & emolumento & solatio meo hactenus expertus sum. Rursus cum animorum nostrorum arctissimam coniunctionem, cum ex altero prius rarissimo, & nunc etiam nouo munere alijsq; euidentibus argumentis, considero: non possum non gaudere & gratulari mihi, & Deo Optimo Maximo gratias agere, quod de talis tantq; virtute, doctrina, virtute incomparabilis amicitia mihi prospexerit: quæ non solum in hac mortali vita, vtilitati mihi ac ornamento sit; sed ad meliorem quoque ac immortalẽ, meditatione mortis, exemplo suo inuiter ac præparet. Quamobrem cum sancti amoris erga me tui thesauro, planè felicem atque beatum me existimem, Deum orabo, vt me diutius hac felicitate perfrui sinat. Sin alter ei videatur, vt & te propitiũ ad meliorem statum animo alacri, inuicti assertoris nostri cruce & victoria fretum; hinc deducat: & me quoque paulò post, antequam deteriora huius mundi contagia sentiam; hoc ergastulo solum; meliore tecum & omnibus sanctis vita ac amoris indissolubili vinculo coniungat. Quod vt toto ex animo cupio atque opto; ita futurum breui, mens mihi præfagit. Nam vt studijs fe-

re non

re non multum dissimiles sumus, ita corporis quoque & temperamentum ratio propè par: quantum & ex literis tuis intelligo, & illorum qui vtrunq; vident, relatione. Quod si ab opere meo Aquatiliam historia, quæ etiamnum sub prælo est, abesse possem vlla ratione, omnino ad te aduolare: cum ut varijs de rebus præcipuè diuinis, sapienter te disserentem audirem: tum ut explorarem, si quid fortè consilij medicinæ ope conferre possem. Quod quoniam non licet, solum felicem & perfectum animorum atq; corporum medicum, qui incurabiles naturæ & humanis consilij, vtriusq; nostri partis, morbos, sapientia, gratia & omnipotentia sua percurat: votis omnibus orabo, ut corpusculum tuum corroboret, quod & honestissimæ familiæ tuæ, ad maiorem prouectionem regendæ, & exemplo etiam ac eruditione, qua polles cum ciuibus tuis, tum externis quàm plurimis profis. Interim nè nihil de arte mea, cuius facultatem mihi tenuissimam esse agnosco, depromam: mitto oleum de nucè moschata, & liquorem cinnamomi. De picatione, consulam aliquem, qui in Galeni lectione versatus sit. Vale. Tiguri: Anno 1558.

CONRADVS GESNERVS:

doctissimo Georgio Fabricio.

ORnatissimi viri Valentini Grauij munera; mirum in modum mihi grata & iucunda fuerunt. Ostento illa amicis & aurifabris nostris; qui omnes artificis ingenium valdè admirantur. Illis etiam seorsim sæpe me recreo, & magna cum voluptate & admiratione inspecio: non enim tam rerum icones in eis, quàm res ipsas spectare mihi videor. Est in eis quod oculos oblectet & pascat, varij ad viuum expressi colores: & quod maius est, ipsa singulorum forma figuræq; ita vndiquaq; omnibus lineamentis expressissima, rectis, obliquis, transuersis, curuis, crispis, longis, breuibus, tantis omnino & totidem talibusq; quanta; quot & qualia producere ipsa natura solet. Nam cum nullu opus lauderur; quod non ad aliquam naturæ imitationem sit factum; cumq; artes omnes naturam velutiducem sequantur: illos in primis laudabimus artifices; quorum opera ad naturam quàm proximè accesserint. Ars verò illa, quæcunq; est, quæ tam proprias rerum icones effingit, quales in Grauij muneribus intueor, non tam similes rerum imagines quàm res ipsas repræsentare mihi videtur, & ut Platonicè dicam *αὐτὸ τὸ αὐτὸ*. Ita ut nisi materia foret diuersa, disse-

rentia planè nulla perciperetur. Celebrati sunt olim pictores quidam ab exquisita et ipsam præ se ferente naturam imitatione, præcipuè Parrhasius & Zeuxis æmuli: nam cum hic vuas pictas detulisset tanto successu, vt in scenam aues aduolarent: ille detulisset hincum pictum traditur, ita veritate repræsentata, vt Zeuxis altum iudicio tumens, flagiraret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam, ingenuo pudore, quoniam ipse aues fefellisset, Parrhasius autem se artificem. Eodem iure nouæ huius elegantissimæ artis opera prædicari merentur, quæ ne huiusmodi quidè à natura discedant, in quibus nihil redundat, nihil desideratur, ad eodè scitè & verè suis similia archetypis, vt si quam materiæ, salua interim forma, mutationem rerum natura admitteret, res ipsas veras & viuas è substantia pristina in argenteam abiisse, vt Medusæ capitis aspectu in saxa quondam homines poëtæ fabulantur, facile quis crediturus esset. Hæc tanta subtilitas & perfectio operis quem non delectaret? Quis non abhorreret araneum qui rutam scandit? nisi quis ne ad viuum quidem exhorrescat. Sed iucundus est ipse etiã horror, cum falsus deprehenditur. quoniam non mouetur hoc animal, quod vel solum in eo desiderari potest. Locusta quoq; in altero fasciculo rutæ ad hærens, si saliret, viueret, & nihil quàm locusta esset. Conari tamen & meditari saltum videtur, ita vt nisi manum aut vim adhibeas, veram quidem locustam, sed vel sponte quiescentem, vel aliter ad saltum impeditam existimes. Iam cum tot modis nobilissimus sensuum intuitus his spectandis detineatur: æquius ferendum est, si animalibus, motus: si folijs, floribus, ramulis, fructibus, in erica, fragis, ruta, belli, millefolio & liliastro odor saporq; defint. Quæ sola nisi deessent, non artis iam, sed naturæ censeri opera poterant. Atqui hic summus est gradus, ad quem vsque ingenium artificis progredi potest, ita æmulari naturam, vt quæ non sint, esse videantur. Non lædit araneus, simillimus tamen læsuro: & minanti non saltit locusta, sed iam iam salitura videtur. Non fragrant fraga, non redoler liliastrum, non graue spirat ruta, nil sapit bellis, non acre est millefolium, si sensus consulas quibus hæc dijudicantur. Iidem si colibeantur, & solis habeatur (vt plerumque solemus) oculis fides, odorem saporemq; hæc omnia pollicentur, inuitant, alliciunt. Sed quid ego hæc multis? neq; enim ea eloquentia mea est, quæ verbis consequi tantum possim, quantum in pulcherrimis hisce operibus reipsa cum artifex optimus felicissimè præstitit, tum liberalissimus Grauius benignissimè mihi

mihî donauit. Erunt hî mihî, dum viuam, Adonidis horri, non fugaces quidem illi & breui euanidi, sed perpetui vigoris, nec vllis anni & tempestatum obnoxij iniurijs, perpetuum Grauij erga me beneficentiæ pignus ac monumentum. Hæc tum igitur (optime Fabrici) amplissimo viro maximas meo nomine gratias vt agas, & animi mei gratitudinem locupletius honestiusq; quam ego præscribere possim, disertissimis verbis tuis, ornare vt digneris, vehementer te oro. Scribam ipse quoque paucis tum ad Grauium, tum ad Chentmannum, cui vt porro etiam me commendare non desinas, cupio. Accepi etiam à te missam bifidam Castoris vngulam, rem certè raram, & Balthici piscis illius dorso eminentis spinam, pro quibus gratias habeo. Liber de Auibus, sub prælo versatur, sed ad nundinas proximas absolui non poterit. Curabo vt quæcunq; tunc impressa fuerint, ad vos mittantur. Vale studiorum meorum columen. Tiguri 554. Junij die 22.

Iam obsignaturus eram epistolam, cum literæ tuæ Basilea missæ mihî redduntur, in quibus præter cætera de iynge auicula ex Gregora quædam annotasti, quæ sanè libentissimè legi, quamuis eadem ferè apud Græcum Theodoti Scholiasten & in Phauronij Dictionario de hac aue lecta mihî meminerim. Est autem (quod nesciebas) hæc Nicephori Gregoræ explicatio in Synefium de insomnijs superiore anno Lutetiæ impressa, vnâ cum alijs quibusdam Synefij scriptis, apud Adrianum Turnebum Typographum regium, vt videbis in Appendice Bibliothecæ nostræ, quam se Typographus propediem excusurum ait. Vale iterum.

SYLVIVS CAESAR SCALIGER CONTRA
do Gesnero, medico Tigurino.

ET si tibi noti non eramus propter nominis nostri nouitatem, atque obscuritatem, ausus sum tamen, & Roberto Constantino fratri meo de tua humanitate multa & magnifice prædicanti fidedem habere, & tibi simul ineptis scriptis nostris obstrepere. Atque illud quidem perfacile potui, qui patris mei Iulij Cæsaris Scaligeri honorifico testimonio, & lectissimis tuis monumentis magnitudinem istam non ignorem. At ingenij nostri exiguas vires tecum communicare, non satis prudentis, ne dicam ciuilibus animi esse videbatur: vt homo nouus, & in re literaria vnus ex multis tantum sibi tribueret, odiosa scriptorū suorum asperitate seria studia tua obtundere, feci tamen quod ille aliquando hortatus est, neque

minus necessariò quàm libenter. Nam cum qualemcumq; hanc mei surgentis nominis dignitatem cum virorum doctorum autoritate coniunctam esse sum mopere cupiam, maxime è re nostra esse visum fuit, si ea eruditioni tuæ, qua primas omnium consensu sustines, committeretur. Malui igitur, fretus tua humanitate, temeritatis noxam subire, quàm propositi mei rationem ab hac nominis mei commendatione reuocare. Id enim dignitati nostræ conuenire ratus, non dubitavi tanquam vnus ex intimis tuis, non solum amicitiaë beneficium à te petere, sed etiam famæ nostræ patrocinium. quorum hoc cum multum accessions ei adferre potest, illud non minus luminis & ornamenti Scaligerorum familiaë est collaturum: cuius ope paternam memoriam posteritati cognitam fore spero: Quod & maximum est in vita hominum, & à tam tenui conditione nostra sustineri non posset, nisi tu qui tibi ipsi immortalitatem paras, alijs quoq; id honoris impartiri non dedigneris. Ego autem qui patris mei nominis tam sum studiosus quàm quis alius, etsi id in ore doctorum per se satis sit celebre, tuo tamen testimonio eius scripta plurimum splendoris & gratiæ consequutura confido. Hęc ad te scribere volui, doctissime Gesnere, tanquàm pignus obseruantiaë erga te meæ. Cuius autoritatem tanti facio, vt nullius amicitiam magis petam, alium magis colam neminem. Efficies igitur pro tuo candore, vt eius quod multis bonis commune est, à te repulsam non feram. Vale, Aogenno Aquitanorum, quinto Kalendas Ianuarij.

CONRADVS GESNERVS SYLVIO CAESARI
Scaligero, genere, doctrina et virtutibus viro nobilissimo.

Nescio an vllæ vnquam literæ, magis exoptatæ mihi redditaë sint, ornatissime Scaliger, & maiorem mihi voluptatem attulerint, ac tuæ illæ nuper suauissimè & doctissimè scriptæ: quibus equidem cum facundia respondere haudquaquam possim, in te redamando tamen, ne quid in me desideres, vt officio meo parem me esse intelligas, operam omnem dabo. Quis enim non amaret Iulij Cæsaris Scaligeri incomparabilis viri, virtute & sapientia præstantissimi, et in omni doctrinarũ genere principis, filium? quis non suspiciat eundem paternæ laudis felicissimum heredem, (quod rarum est in heroum filijs) ac veluti alterum patrem? Itaq; maximum felicitati meæ (qua, vix maior in terris datur, quàm bonorum et sapientiũ hominum amicitia) postquam te amico sum aus-

ctus,

ētus, cumulum accessisse iudico. Hoc autē nomine video me multum optimo & doctissimo viro Rob. Constantino debere, qui, vt conijcio, plura quā ego præstare possim, de me prædicare solet: plurimum, verò summæ humanitati & suauissimæ benignitati tug. Atq; vtinam expectationi de me tuæ, aliqua ex parte saltem satisfacere possim: conabor, equidem vt non voluntatis sed facultatis culpa fieri intelligas, si minus, quā par erat, fecero. Bibliothecæ nostræ si quid edetur aliās, vel ipsa, vel Compendium, vel Appendix aliqua, faciam nobilissimi parentis tui eiusq; scriptorum honorificam & copiosam mentionem, sicuti meretur. Oblecto me subinde in admirandis ipsius de Subtilitate ad Cardanū scriptis: sed plura de eius virtutibus, quibus ego mirificè afficior, dicere nunc neque vacat, neque apud te alterum ipsum, opus est. Mitto tamen quod nuper ab amico accepi, Iacobi Scheccij, summi sanè philosophi, de ipso iudicium ac elogium, cuiq; per omnia subscribo. De Iulio Casari & Scaligero, &c. Ego vir clarissime abs te peto, vt parentis vitam diligenter describas, & Lucubrationum eius alicui illam præfigas: hoc enim quā plurimi boni ac literati homines desiderant. Plura scripturæ occupationes quædam superueniunt: quamobrem Vale, & me nominis vestri, nullo qui viuunt hominum minus amantem, vicissim amare perge, donec re ipsa inter nos mutuos animos aliquando (si ita Deo videbitur) declaremus. Tiguri Anno 1561.

CONRADVS GESNERVS FRANCISCO

Porto Cretensi, Græcarum literarum interpreti consummatissimo.

Accepi cum postremis literis tuis, doctissime Porte, Cæcilij Lancei Psalmum Heroico carmine graui sanè, maturo, & poëticæ virtutis (si quid ego iudicare possim) pleno redditum, pro quo plurimum tibi debeo. plurimum & argumento tali, & carminis genere, quanquam ipse infelicitissimus poëta, oblector: sicuti Elephantum ferunt narandi imperitum, circa flumina & aquas tamen libentissimè versari. Ego si quid vicissim habuero, quo te oblectatum iri confidam, officij mei meminero. In præsentia commendo humanitati tuæ optimum hunc iuuenem, Ioannis Frisij Ludimagistri apud nos filium, habitaturum puto cum D. Chevallerio, est enim Hebraicæ linguæ & sacrarum literarum imprimis studiosus. Ex Gallia audimus tristitia de profligato Anglo

EPIST. CONRADI GESNERI

rum exercitu, utinam falsa. Vale, & D. Casteluertio *ἄν κ' αὐτὸς ἴκῃς ποτὶς
πικρὰτ' ἢ ἀείψ' ἀρδ' εἶ*, plurimam ex me salutem dicitō. Tiguri. Fe-
bruarij die 6. anno 1563.

De tuis lucubrationibus fac me, si placet, aliquando certio rem,
Etsi enim quietem tibi opto, cupio tamen te fecerari talento illo
quod à Domino accepisti, ut posteri etiam vixisse te intelligent:
tuæq; virtuti & doctrinæ aliquid debeant. Tu vel solus, vel vnus
omnium optimè, condere aliquid potes lingua Græca siue vernac-
ula, siue antiqua; quo summam sinceræ religionis apud Creten-
ses etiam tuos, aliosq; Græcos promoueas: & contra abusus, qui
apud illos obrinent, præcipua aliqua ex sacris literis argumenta
proferre: atque omnia ita temperare, ut vel publicè legi vendiq;
possint: vel per aliquos clam saltem distrahi. Experire quæso par-
uo aliquo libello, siue ficto argumento, qualis est dialogus ille
mercatoris cum Turca, siue non ficto. postea si succedat, maiore.
D. Henr. Stephanus non dubito, operam tibi suam præbebit. Ita-
sum Vale, vir clarissime, cum familia & amicis omnibus.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Caio Britanno, medico clarissimo.

Tu verneris officiosè et amanter ad me scripsit, speroq; eum ali-
quid, si valetudo sinat, in gratiam meam facturum, ut sepe fe-
cit antehac. Quod librum tuum de balneis Britannicis resines, do-
nec expolias, absoluasq; meliùs, benefacis: cupio autem te matu-
rare quoad eius commodè potes: antequàm humanitus aliquid ti-
bi cõtingat, quod Deus adhuc longissimum auerrat. Mihi quidem
sat erit de Germaniæ Heluetiæq; nostræ fontibus medicatis scri-
psisse: atq; utinam id ipsum pro mediocri saltem dignitate præstare
possem. Enirar equidè quantum potero, aliorum qui ante me idem
argumentũ in nostris et externis regionibus tractarunt, diligentiam
superare omnium: quod nisi facerem, meritò taxandus forem, qui
post illos et inspectis eorũ libris scribam. Faciam autem in ea luccu-
bratione mea, tui quoq; de Britannicis balneis libri mentionem:
& eius fortè breui edendi spem aliquam lectori. Absui nuper to-
to ferè mense in Alpibus Rhæticas, quæ Heluetiam Italiãq; diuisi-
dunt: ad finitima Insuorum & Venetorum loca per multos altissi-
mosq; montes profectus: itinere hinc (Tiguro) ferè octidui: par-
tim ut fontibus qui illic diuersi ac per celebres sunt fruerer, vale-
tudinis meæ causã: obiterq; fontium naturas addiscerem: partim
ut stirpes

Vt stirpes inquirerem, amicos inuiserem veteres, pararem novos,
 animum à studijs relaxarem, corpus exercitio firmarem. quæ omnia
 mediocriter mihi (Dei gratia) contigerunt. Inter alios fontes (de
 quibus scribere non vacat) vnum reperi, cuius aqua decoctione
 consumpta, nitrum verum (vt mihi quidem videtur) syncretumque
 relinquit copiosum: cuius specimen si quæris, habeo fortè aliàs.
 Consumpsi enim quod mecum attuleram remedijs & donationibus.
 Nitrum in Europa non inueniri hodie consultissimus naturæ
 Bellonius prodidit: fossile erui falsò putauit Agricola. Sapore
 ad Chrysocollam factitiam aurifabrorum accedit, sed acrius falsiusque
 est, cū leui amaritudine. Reperiturne vlla acidula in Anglia? acor
 ille mirus aquarū, qua causa fiat, nec ipse dum satis explorauī,
 nec alij dum mihi satis fecerunt. Claymundi in Plinium obseruationes
 impressas olim, me vidisse puto: scriptæ ne, quas habes ab illis differunt?
 Oporinus certè vir bonus est, & dignus cui boni omnes bene faciant.
 sed quod ad Plinium attinet: quoniam illum toties cudit atque recudit
 Frobenius, vir bonus & liberalis: idemque cogitat Doctorum omnium
 obseruationes in Plinium vno volumine concludere: melius fortè feceris,
 si illi per te aut me obruleris, quod etiam veniā Oporini fieri posse sperem.
 habet hic quàm plurima exemplaria diuersa, & recondit in multos
 annos quæ imprimenda suscipit. Val. Cordi opera nunc tandem absoluta
 sunt Argentinx. scripsi Typographo, vt cum his literis coniunctum
 exemplar ad te mittat. Adiuncti sunt illis horti mei Germanix.
 Omnia nimis negligenter & mendosè impressa: ita vt ferè pudeat
 me nominis mei addiri. Ero aliàs cautior. Pro miserat Typographus
 hominem doctum & diligentem se præfecturum prælo, quod non fecit.
 Elleborine, quam aliqui apud vos sic vocant, propter similitudinem
 folij (reliqua enim forma & viribus longè abest) alismatis seu
 damasonij species doctioribus videtur. Veterum certè Elleborine
 (Dioscoride teste) *capivion* est paruus (herbulam melius dixit
 Theophrastus, *νοδερσος*) paruis folijs: Eam esse herniariam
 recentioribus dictam iudico: in qua opinione etiam Anguillara est,
 præfectus Parauini horti: qui in bello Italico nuper edito, à
 Turcis herbam viperarum vocari scribit, à Græcis Asphedila:
 succum eius potum aut herbam esitatum, morsis à vipera auxiliari,
 emplastrum ex ea herniam mirè resolueret: iecori prolesse, aquam
 eius destillatā intra octo dies curare ictericos: à nonnullis centigramam,
 vel millegrammā dici. Tragus herbarij sui libri 1. cap. 181. pingit ac
 describit. Mitto tibi ramulum

Chryso.

eius. Folium quod pro Platano misisti, omnino aceris est: quam
 arborē Galli plaine vocant, nomine ad Platanum alludente: vnde
 quidam decepti sunt: vt falsum appareat Cardanum quoq; qui in
 Scotia Platanos abundare scripsit. Miror te nescire cur ilex vestra
 lingua dicatur à grayne ttee, si ea verba (vt puto) arborem viri-
 dem significant. Semper enim viret: vnde & Galli chiefne verde, id
 est, quercum viridem vocant. Glandes ilicis si commodè potes,
 paucas bene maturas mihi mitte, vt terrā mandem, nullam enim
 huius generis arborem nostra regio fert. Conchæ quas misisti plu-
 rimum me delectarunt. Sunt inter illas, Strombulus, Pecten niger
 & ruffus: Peloris vel Tellina: & Nerites, ni fallor, duplici fora-
 mine: Dentes illos in suis maxillis, quas cera iunxisti, non Auru-
 ræ piscis, sed Scari esse puto: quoniam Auratæ dentes anteriores
 ferrati sunt, & in acutum desinunt, Rondelletio teste: Scari verò
 dentes sunt obrusi, & incisorijs etiam ex illis (Belloniò teste) simi-
 les humanis. Nomen huius piscis, cuius maxillas misisti, Angli-
 cum desidero: & de eodem an superioribus dentibus careat, an-
 terioribus scilicet, vt ruminantia animalia (quod de Scaro Ari-
 stoteles scribit) scire cupio. Hunc piscem esse puto, cuius Angli-
 cā nōmīnā posui à principio Corollarij de Aurata; pag. 130. Au-
 ratam Iulius Caesar Scaliger (cuius nuper doctissimi libri de ar-
 te poetica excusi sunt) in Oceano Britannico esse negat. Sed Sca-
 rus tam similis est Sargo; vt Monspessuli etiam pro Sargo vendat-
 tur. Cupio te conferre & distinguere mihi. Mihi omnino animus
 veras esse Scari maxillas; quas misisti, inclinat. Pictori statim
 dedi. Si potes mitte aliquando superiores quoque maxillas, nam
 Rondellet. & Bellon. non meminerunt; an tales illæ sint, quales
 Aristoteles esse scripsit; contra omnium piscium naturam. Orbem
 piscem iam sæpe promisit D. Parkhurstus Nordouicensis Episco-
 pus, sed nondum misit. Canis aut caniculæ alicuius marini maxil-
 las, vel caput integrum bene siccatum aliquando oprārim habere;
 aut saltem dentes de maiore aliquo huius generis piscium. Ex duo-
 bus illis pisciculis, quos doctissimus Turnerus misit, alterum pu-
 to cognatum esse Cuculis & Lyris marinis: Germani Gallos ma-
 ris huiusmodi pisces vocant; capitibus magnis, osseis, aculeatis,
 etc. alter apprimè admirabilis est, pingendū statim curavi. Blenni
 genus est, quod differentiæ causa holosteuum vel armatum cogno-
 minārim. Placeret tibi animalia mea in ordinem redigi, & cum
 descriptionibus edi: cuius consilij tui memor ero per occasionem:
 & si quod ordines à me in iconum libris positos attinet, non
 vid.

video nunc quomodo fieri meliores possint. Quæ antehac picta ad me suis coloribus misisti animalia; vna cum cæteris, quæ accuratius picta habebam plurimis, in librum quendam scite digessi: & pleraque inter se agglutinavi, ita ut separari non possint: si tamen volueris, denuo tibi depingenda curabo. Typographus noster iam diu pictorem habet, qui libris nostris de animalibus omnibus picturas addit: atque ita pictos vendit: sed parum accurate. Simul autem duodenos aut plures pictor depingere solet. quod si vnicum exemplar, idque diligentius depingendum ei foret, nimium forte precium posceret. Faciam tamen in tuam gratiam quicquid iusseris & fieri poterit. Plurimorum quidem picturæ & colores veri nobis desiderant: ita ut eorum icones vel sine coloribus relinquendæ sint, vel ex coniectura, aut temere etiam pingendæ. Galeni opera Basileæ iam absoluta erant, cum libellos à te missos accepi: ut significavit Typographus; ad quem postredie quàm tua accepissem scripsi. Index tantum perficiendus superest. Cupit tamen libellos tuos ad aliam editionem olim forte futuram servari. Ea spe, si tibi placuerit, servabo. Librum illum de Humoribus Galeno attributum, cuius meministi, non vidi, nec scio ubi impressus sit, si nosti, significa. Nihil quidem mihi cum Typographo in nova hac editione rei est, (nisi forte præfari me voluerit: quod tamen, si poterò, subterfugiam, conscius mihi meæ tenuitatis) gratias tamen pro his quæ admonuisti habeo. Audio quidem Venetijs etiam à Valgriso imprimi nunc Galeni opera: & imprimenda esse à Iuntis denuo: non licet tamen mihi illis quicquam consulerè, ne Frobenij (optime de me meriti) editioni incommodem. Pronovis illis ac pulcherrimis picturis atque descriptionibus animalium quinque (& insuper Chamæleontis accuratissima descriptione, item Cercopitheci varij, Spermologi & Anaris Turcicæ) immortales, si possem, tibi gratias agerem: sed habebò dum vivā, perpetuò: & quoad eius licuerit, gratus ero. Si Tragelaphi cornua bina (aut vnum duntaxat) impetrare aliquando mihi posses: forte enim brevis hoc animal apud vos, si superest adhuc, extinguetur: ego Ibicis, seu Capricorni cornua ad te mitterem. ad huius quidem naturam accedere tuus videtur. De Bufelapho tuo nihil habeo quod dicam, nisi vel Bubalum ipsum veterum videri, vel certe cognatum animal. quid enim prohibet duas Bubalorum species reperiri, etsi non expresserint veteres? Bufelaphi nomen à te impostum, nescio an recepta Græcis analogia probari possit: neque enim inuenio simile nomen compositum, in quo Sigma finale

reseruetur: abijcitur enim sequenti consonante, vt in hypposelino,
 buselino, vocali autem sequenti ad virandum hiarum, ex duarum
 vocalium concursu, qui s, abiecto committeretur, compositio nul-
 la fit. quis enim ferat buclaphum dici? Ignosce nugis grāmaticis.
 Plarycerorum ouium Arabicæ & Africanæ distinctiones tuæ pla-
 cent. De Canibus libellum, impressurum se ad has nundinas pro-
 miserat mihi Typographus noster: sed fefellit expectationē meā.
 Sed ne dubitaueris: omnibus tuis, quibus me dignatus es scriptis,
 cum primū fieri poterit euulgandis, in vtriusq; nostrum honorē
 vtar. Spermologi & Anatis Turcicæ imagines si in promptu ha-
 bes, aut habere potes, libenter videbo: propter colorum saltem dis-
 scrimen: quamuis forma hæc ad Indicam Anatem nostram, illę ad
 Cornicem prorsus accedant, vt scribis. Quæris cur addiderim de-
 scriptiones tuas Leuncię & Zibetti, iconibus meis Lupi ceruarii &
 Zibetti, cum quibus nō conueniant. Atqui parum refert, cum mis-
 se à te icones descriptionibus tuis congruentes, sub finem volumi-
 nis (ad quem lectorem remitto in vtroq; animali) ponantur: quæ
 quò minus suis ponerentur locis, cum sculptæ nondum essent, mo-
 rostate Typographi accidit. Ignosce. In alia editione emendabi-
 tur. Quod ad res ipsas & nomina, Leuncia tua certè non aliud
 quàm Lynx est: sed Lynx vulgò dicta, quæ in nostris alpihus etiā
 oberrat. Alia enim est Lynx veterum, Pantheris similior, cauda e-
 tiam longa, cuius nuper iconem Byzantię in Imperatoris aula fa-
 ctam in linteo magno, & à Polonico legato empram, defuncti i-
 psius frater ad me dono misit: sicut & Hippotigridis, siue tigridis
 maioris. Lynx nostra vulgaris, omnino ~~est~~ siue Lupus ceruarius
 est. Bifon monoceros non reperitur: & præstat nos credere ocu-
 latis testibus, atq; incolis locorum illorū, in quibus has feras capi
 illi ipsi, quos citas, veteres scripserunt: quanquam veterum nemo
 Bifontem scripsit vnicornem esse: sed malè ita apud Cæsarem le-
 git, aut potius ipse mutauit, Gillius: qui defendi non potest. Omni-
 no enim constat Bifontem bouem esse syluestrem, & cornuum ra-
 mos ac palmas minimè ei conuenire: maximè verò omnium Ta-
 rando: qui tamen non vnum cornu habet (in quo deceptus est Cæ-
 sar) sed bina in excelsum erecta. Bifontis & alces cornua nobilis-
 simus vir Polonus, (idem de quo ita scripsi) dono ad me dedit. Ma-
 net vtriusq; ferè nomen hodię ~~in~~ ⁱⁿ ~~hodię~~ ^{hodię}: sed Bifontis ad alium syl-
 nestrem Bouem, qui veterum Vrus est, transtulerunt. Vnicorne a-
 nimal in Hercynia nullam capi nostro seculo certus sum, nec in
 Germanicis nec in Polonicis syluæ eius tractibus. in Carpatho
 quidem

quidem monte, qui Poloniam Vngariamq; diuidit, Rupicaprae monocerotes visuntur. Pro Gillio citas Calepinum, cuius nulla autoritas: & Plinium lib. 8. cap. 15. vbi is nihil de Bisonte scribit, quam quod iubarum cognominat. In eodem capite memorat Machlin e Scandinavia: quam quid obstat quin Hippelaphum Aristoteles tuum esse dicamus? Obijcies non conuenire, negatos ei a Plinio suffraginum flexus, atqui eisdem Alci negat Cæsar, aliqui Elephanti quoq;: sed & Alcen & Elephantum suffraginibus flecti hodie nemo dubitat: & nulli omnino quadrupedum illi negantur, quare Machlin etiam is flecti existimandum, & Pliniū ex rumore tantum, sed falso, hæc prodidisse: id quod intelligitur his eius verbis. Nunquam visam in hoc orbe, multis ramen narratā Machlin, haud dissimilem illi, videt et Alci: quod & Solinus repetit. Labrum ei superius (inquit) prægrande (hoc & Alci & Machli commune) ob id retro graditur in pascendo. Hoc Solinus Alci non Machli tribuit, verum ne sit de altera vel utraq; nescio: tu inquire re poteris. Apparet sanè veteres (Plinium, Solinum, Cæsarem, quamuis Machlis nomen expressum apud solum Plinium legitur) Alcen & Machlin confudisse: nec mirum, cum propter magnam similitudinem (cornibus exceptis) hodie etiam imperiti confundant, nam cum Alx tantum vulgò propriè Elent dicatur: tu Hippelaphum quoq; tuum in Anglia à vulgo sic impropriè vocatum fuisse scribis. Utinam proprium eius in Scandinavia seu Noruegia vsitatum nomen expiscari posses. Esto igitur hæc Machlis nec visa nec cognita hætenus scriptorum vlli: quantum diligentia, doctissime Cai, debemus. Hoc solum addam, in verbis Cæsaris de Alcibus, li. 1. scilicet: Harum est consimilis Capris figura, & varietas pellium: sed magnitudine paulò antecedunt: si pro capris legas ceruis, (quibus etiam varietas pellium magis conuenit) sectionem veram futuram, hoc est, cum re ipsa concordem: quamuis quod ad pellium varietatem attinet, nihil dum asserere possum: in prima ætate forsitan, ut cerui, sic & alces variæ sunt: & eadem formina (quas solas visu audituue potius cognouisse videtur Cæsar, aut iuniores fortè, aut mares cornibus amissis) cornibus carent. Sanguinem tuam, Cercopithecum Bresilicum appellarim. Optarim equidem & ipse, ut qui mittunt amici animalium quorundam picturas, melius & pictas, & accuratè descriptas mitterent: sed plerique vel indoctiores sunt, vel octo destituuntur, vel ab alijs accepta mittunt, &c. Dabo tamen operam, ut quædam paucularum meliora fiant, quamdiu viuam. Pergratus est donatus

EPIST. CONRADI GESNERI

à te Haliæti pes. Bulbos cepæ fistilis, à D. Turnero, vt conijcio, datos, cum cæteris accepi, mox plantaui, & gratias habeo. Sto-
macacce malum est frequens in ora Germaniæ: eius memini in o-
peribus Cordi, pag. 213. id an vobis etiam molestum sit miror: Bri-
tannicam herbam, qua olim illi me debebantur, hodie incognitam
puto, alijs substitutis. Doctissimi viri D. Ge. Bullocci ad te literas
libentissimè vidi, cum alijs, tum quod inde quæ quantaq; tua a-
pud Anglos autoritas & magnificentia sit, plenius cognoui. His
laudibus & virtutibus tuis gratulor, maxtè doctrina & omni lau-
de vir præstantissime. Deus Opt. Max. te Anglis tuis, & mihi quã
diutissimè incolumem conseruet. Quod ad rationem Indicum cõ-
ficiendorum libro meo Partitionum mearum Vniuersalium indi-
caram, libentissimè D. Bulloco gratificater vel tuo nomine: sed
clarius quàm illic scripsi exprimere vix possem. Et quoniam in-
tellexi eum mox in Italiam transiturum, fortassis hãc transibit:
aut saltem in reditu, nihil enim ab itinere recto desectet, si reuer-
tens hãc transeat, poterit ipse me domi conuenire, & rem præsen-
tem inspicere: ac simul alia multa rara in tui gratiam. Sin minus,
specimen aliquod ad vos mittam, qualecũq; poterò. Hoc ei siue ad
huc Parisijs est, siue in Italiam iam profectus, significare poteris.
Ego hinc in Italiam literas mittere possum quoti die. Mitto tibi o-
xymelitis nostri, remedij sanè felicissimi, descriptionem: simul &
Antidoti cuiusdam nouæ. cupio autem illas te tibi seruare, & pau-
cissimis ex amicis. sic enim mihi quoque commisit, qui commu-
nicauit antidotum. Vale. Tiguri. 1561. Augusti die 29.

CONRADVS GESNERVS IOANNI

Placotomo medico.

Quod tam facilè amicitij inter nos ineunda assentiris & ac-
quiescis, doctissime Placotome, meritò te amo: meq; polli-
cèor ^{reputa xij xlii} tuum esse futurum: quod quoniam candi-
dè & ex animo dico, procerij amplius nihil addam. Oculorũ ma-
lo tam incommodo te laborare doleo: atq; vtinam aliquid adfer-
re consilij possem. Non memini sanè neq; in medicorum neq; phi-
losophorum scriptis hoc symptoma memoratum vnquam legisse:
sed neq; in alio hæctenus homine obseruaui, neq; qui obseruaasset
audiui. Spiritus visuos dissipari apparet, quoniam longinqua
non assequeris, sed proxima tantum: id quod mihi etiam ab ado-
lescentia accidit. sum enim lusciosus & ^{u. p.} itaq; vt longinquo ra-
paulò

paulò videam, conspiciolorum genere vtor, quo spiritu colliguntur, & res minutiores apparent. Tu an vllò & quali eorum genere iuueris, scire velim. Iudico equidem te quoque myopem esse: quod vitium incurabile est: vnum hoc boni habet, quòd in senectà oculi non hebetiores fiant. neque enim incrassantur in eo spiritus, (quæ in alijs senibus heberudinis causa est) cum myopiasis ipsa ex spiritus subtilitate, quæ facilis dissipationis causa est, proueniat. quamobrem istorum ferè sicci oculi sunt, lippitudines raræ. Sed huic malo alterum in te accedit, quod visa geminat, nisi proxima sint, vel manum oculis prætendas, vel alterum claudas. Huius ego neque nomen, neque rationem dicere satis possum. Aristoteles, Aphrodisiensis, Cassius in problematis suis quærunt, qui fiat, quòd ebrij gemina videant: & videntur in hoc conuenire, id fieri propter inæqualitatem situs oculorum. quoniam si quis etiam digito oculum alterum premat, vt altero sublimior sit, obiecta visus geminantur. & in tactu similiter, vt si quis summis digitis duobus cancellatis seu decussatis nucem celeriter moueat: quoniam digitus alter inferius, alter superius attingit nucem veluti contrarium mouentes, geminæ videntur nuges. An igitur intrinsecus forte hoc tibi accidit, vt pars aliqua oculi, vel humor, vel neruus opticus alter situm suum nonnihil immutarit? An neruorum optico- rum coniunctio humore aut alio corpore interueniente dissociata est? Quod si (vt suspicor) duplex hic in te affectus est, verisimile fuerit alterum præcessisse, alterum esse sequutum, non eodem vtrunque tempore obortum. Sed cur manu oculis prætensa non vides geminas? an quòd spiritus dissipari sic prohibentur? Atqui non simpliciter dissipatio spirituum geminationis causa est, alioqui lusciosi omnes gemina viderent. Dissipatio etiam in continuum fieri potest: vt verò gemina appareant, diuelli prorsus & continuitatem dissolui oportet: ita vt dextri oculus spiritus seorsim, & sinistri seorsim, idem obiectum contingat. Quòd si digito oculum premas, apparentibus geminis, manus ita opponi potest, vt res non amplius gemina appareat. Sed hæc opticus aliquis melius docuerit. Tu rem diligentius considerabis ipse: si fortè inuenire causam possis, vt ea inuenta curationis aliqua spes sit. sin minus, Dei voluntatem boni consules. In Galenum de constitutione artis paraphrasin scripsit Christophorus Heyll, quæ excusa est Moguntia anno 1534. in quarto. Et proximis mensibus Iulij Alexandrini medici regis Ferdinandi, liber de medico & medicina, hic à patruele meo excusus est, eruditus sanè, & qui hoc quod re-

quis implere possit. Ego condenda animalium historia ita sum occupatus, ut aliud nihil cogitem, priusquam (Deo volente) illam absoluerim. De aquatilibus volumen ingens nunc sub prælo est, nec absoluetur ante annum. ad id utinam aliquid conferre posses, quantumcumque, ut honorifice te in eo nominandi occasio mihi non deesset. Aedidi æstate superiore Halieuticon Ouidij cum scholijs meis, & de Germanicis piscium nomēclaturis libellum adieci. non dubito quin apud vestros bibliopolas quoque reperiat. Eo per ocium inspecto, proculdubio de quibusdam vel non recte aut non plenè explicatis, & multis omisis, monere me posses: quod ut facias obsecro: nec ero ingratus. Mitto ad te Indicem librorum quos paruelis meus excudit, & Francfordiæ vendit. ex ijs si quid desideres, quod breuius aut cōmodius nancisci nequeas, mittam ad te. In arte liquores vel olea destillandi, si quid secretius habeas, fac me participem; alia quædam non vulgaria eiusdem generis à me recepturus. Inserui huic epistolæ schedam ab amanuensi scriptam, qualem hoc tempore ad diuersos amicos eruditos mittere soleo. Vale & me ama. Tiguri. 1557. Martij 27.

CONRADVS GESNERVS VIRO CLARISSIMO, D. Leonardo Fuchsi.

Valere te & stirpium historiam tribus edendam Tomis magnum gratum fuit. Minus verò gratum illud, quod ab eodem argumento me absterres. Atqui oportebat nos maiore publicè quàm priuatæ utilitatis rationem habere. Vnus vir, nullus vir, si vsquam, in hoc maxime argumēto, verè mihi dici videtur. Sunt enim infinite plantarum species, quarum magnam partem singulos ignorare necesse est, propter regionum diuersitatem. Quod si suas quisque obseruationes in cōmune protulerit, spes est aliquando fore, ut ex omnibus opus vnum absolutum ab aliquo Colophonem addituro perficiatur: quod ut nostro seculo fieri optarim, ita vix sperare ausim. Vel les tu, ut alij quæ obseruarunt ipsi, ad te mitterent: atque utinam id multi facerent, & magnos pulcherrimosque conatus tuos iuuant, & facerem id ego quoque libentissimè, si non aded multa haberem: si omnia descripta, atque ita ut tibi vsui esse possent. nam de eruditione tua & iudicio tanto iam tempore his in rebus exercitato, nullum mihi dubium foret, quin rectè omnibus vtereris. Sed multa omnino variatque habeo, & ea innumeris schedis notata potius, quam

quàm descripta, atq; ita vt nemini ferè quàm mihi vsui esse queant: neq; vacat hæc mihi commodius describere. Et in capite plura fortè quàm in schedis habeo. Ab adolescentia enim hoc studio me oblectaui, quod nisi cum vita non deponam. Tu mihi quæso libertatem meam, & meas delicias permitte. Quando de ijs aliquid sim editurus, nescio: adeò proluxa est quam suscepi omnis animantiũ generis historia, & vix ante annum aut sesqui de piscibus perscripsero. Hoc tibi polliceor, si vnquam scripsero, honoris tui rationem me habiturum: & sicubi dissenserò, simplicissimè modestissimèq; facturum. Imò si tua viderem antequam ederentur, de nonnullis fortè in melius mutandis (præsertim quod ad nominum impositionem) candidè admonerem. Quod tu quoq; meis inspectis præstare posses, si velles, in multis, non dubito. Ea enim huius argumenti conditio est, vt semper multa quæ addiscamus supersint. Meus quidè animus eiusmodi est, vt in eodem, quodcunq; tractandum susceperim, argumento, versari quàm plurimos velim. De animalibus, auibus, piscibus, eodè tempore, quo ego, Galli etiam Bellonius & Rondeletius scripserunt: sed honorificè illi meminerunt mei in suis scriptis, & alter etiam mittendis quibusdam conatus meos promouit. adeò nulla inter nos æmulatio est. Rondeletius tamen subinde perstringit Bellonium & Hippolytum Romanum, (nominibus quidem semper abstinet) sed merito, quòd cū ab eo plurima accepissent illi, nunquam eius ne verbo quidè vno mentionem fecerint: & ipsius inuenta sibi vsurparint: quod sumæ ingratiitudinis, imò ingratiissimæ ambitionis est. Ego honorificè semper illos nominaui à quibus profeci, non semel, sed in singulis vbicunq; aliquid mihi communicauit quisquam. Porro vt liquidò intelligas (mi Fuchsi) summo candore me tecum agere, neq; dissimulare quicquam, & cum tibi tuæq; gloriæ, tū Isingrinij vtilitati, viri de me bene meriti, quàm optimè velle, consilia mea omnia tibi aperiã. Vuendelinus Rihelius felicitis memoriæ Typographus Argentinensis, adolescenti mihi familiaris fuit, & in Græcæ linguæ rudimentis à me aliquando institutus est. hic & libris à se impressis multis, & alijs quibusdam muneribus liberaliter me donauit, rogauitq; cum rei herbariæ studiosum me esse intelligeret, vt Tragi editionem latinam emendare & annotationibus illustrare vellem. hoc ipsum etiam Tragum iam senè, & propter aduersam valetudinem lucubrationibus ineptum, cupere addebat: & similiter Kyberum iuuenem mihi arctissima necessitudine coniunctũ, qui Germanica Tragi scripta Latine reddidit. Præterea vt de Hel-

Heræ nostræ & alpium plantis aliquid adderem. Ego nimium facilis, promisi: nullo tamen tempore præscripto, & hætenus quidem rem non perfecti, alijs occupationibus obrutus. quoniam verò promisi, & pecuniam etiam aliquam à Rihelio missam ad sumptum itineris per alpes, & in icones pingendas expendi: æquum est omnino, ut siuo præstem, quod patri promiseram. Sed hoc parum erit, & nihil editioni tuæ incommodaturum. Non augebo Tragum, sed minuiam potius inutilem eius sæpe loquacitatē, &c. errores, quibus abundat, tollam, aut notabo. Libellum de Helueticis & alpinis plantis perbreuem addam, cū figuris paucis. Quandoquidē verò, ut dixi, obseruationes simul & icones de omnium plantarum genere innumeras habeo, & quotidie tū ipse multa obseruo, tum ab amicis accipio ex Germania, Gallia, Italia: statueram omnium qui de plantis vtiliter scripserunt, veterum præsertim, & ex recentioribus præcipuorū, scripta vno volumine colligere, breuius argutiusq; quā in Animalium historia feci, & absq; philologia ferē: & iam aliquot folia conscripserā. Hoc si tibi & Isingrinio displiceat, in vestram gratiam mutabo consilium. Expectabo donec Tomi tui omnes prodierint: tum, si vixero, ijs inspectis, scribā Paralipomena, & ea Isingrinio cudenda dabo, ita ut nihil reperatur eorum, quæ in tuis scripta fuerint. Sed ut hoc faciam, & primū consilium meum relinquā propter vos, vicissim peto, ut à vobis quoque aliquid mihi concedatur, quod & Isingrinio vtile, & studiosis gratum erit. Nempe ut icones omnes, quas in libris tuis habueris, mihi permittat, quo voluerim ordine, nomenclaturis, quæ mihi videbuntur, aditis, vnā cū nostris iconibus præterea addendis (quas tu non habueris) in vnum volumen coniungere, sicut in quadrupedum & auium figuris feci: & faciam quoq; in piscibus. Simul autē cum nomenclaturis notabo quæ plantæ ex tuo opere sint, & quo in loco à Lectore requirenda singulorum descriptio: item quæ nostræ sint, & vbi in Paralipomenis descriptæ. Hoc meum consilium si admittitis, bene est: sin minus, ad primū meum institutū meamq; libertatem redibo. Vale. Tiguri. 1556. Octob. die 18.

CONRADVS GESNERVS VIRO CLARISSIMO D. Leonardo Fuchso.

Literæ tuæ, vir clarissime, 13. Decembris à te datæ, Februarij decimo mihi rediit sunt. Cupio equidem & tibi & Isingrinio gratificari, quoad eius fieri poterit. Quod si aliud nihil superueniat, quod consilio & instituto in præsentiarum nostro aduersetur,

tur, Paralipomena scribam: idq; eo magis, si editio tua, ut spero, eiusmodi sit, ut à viris doctis merito approbetur. Figuras eas tantum inferam, quæ in tuis non reperientur, ut suades, & ipse prius facturus eram. nam de tuæ editionis iconibus video te propositum meum non assequutum. Volebam ego non solum Paralipomena scribere, ut iam dixi: sed insuper vellem ab insigninio icones omnes absq; historia aut descriptione, seorsim cudi, ut iam antea fecit in prima editione: & ego quadrupedum, aviumq; figuras seorsim de his cum solis nomenclaturis. Hoc inquam volumen iconum mihi permitti velim, ut ego quo vellem ordine disponerem, tuas ac meas icones, & nomenclaturas pro meo arbitrio adscriberem. Sed hac de re dispiciemus aliàs, si vita supererit. Ego interim fidem meam non atrinxi. quanquam enim omnino & vos amo, & conatus vestros utilissimos pulcherrimoq; quam felicissime procedere opto: fieri tamen poterit, ut vel omnino non scribam: vel aliud pro re nata consilium capiam. Quicquid fiet, et typographi tui, ut viri de me bene meriti, utilitatis: & tui etiam honoris, quem doctrina tua meretur, ratio semper à me habebitur. De victorali, ut vocant, herba, parum quod ad te scribam habeo. In iugis montium altissimorum Helvetiæ nascitur: anno superiore in monte Pilati propè Lucernam reperi copiose. Genus alij est, quod odor indicat: Oreoscorodon appellemus licet. Flores quocumq; & semina alio accedunt. Radix eruta diu durat, & multo etiam tempore post terræ mandata, facile crescit. Alui iam per quatuor aut quinque annos in hortulo meo stirpes duas, quæ semel tantum flores & semina protulerunt: & eo nomine forsitan diutius durant. folia ellebori albi folijs similia sunt, minora. Est & altera victorialis rotunda siue bulbosa radice, (unde signatur: vulgo quidam nominant) similiter reticulata & tunicata, cuius superficiem nondum vidi. sapor & odor radices nihil alij referunt. inodora & dulcis est. croco potius aut gladiolo congenerè putarim. In montibus Abbatiscellæ reperiri audio. Vtraq; pro amulero homines superstitiosi vntur. Convulsiones etiam prohiberi aut sanari radice gestata, vel loco convulso alligata, promittunt. Alij vires illi, cuius radix est longa adscribere non dubitarim. Hæc ego candidè tecum impertior, etsi reseruanda fuerant ad libellum, quo paucas Helvetiæ plantas olim describam. Tu simpliciter hæc à me accepta fateberis, si placet. De rotunda etiam, si quid certius cognovero, ad te scribam: aut radicem etiam mittam, ut terræ mandetur, si recentem habere poterò. Vale. 1557. Februarij die 11.